






SIGILLVM·VNIVERSITATIS·CALIFORNIENSIS
LVX
FIAT
MDCCCLXVIII
EX LIBRIS

NEMESII EMESENI

LIBRI

ΠΕΡΙ ΦΥΣΕΩΣ ΑΝΘΡΩΠΟΥ

VERSIO LATINA.

E LIBR. MS. NUNC PRIMUM EDIDIT ET APPARATU CRITICO INSTRUXIT

CAROLUS HOLZINGER,

EQUES,

PROF. EXTR. IN UNIV. GERMAN. PRAGENSI.

LIPSIAE | PRAGAE

SUMPTUS FECIT G. FREYTAG | SUMPTUS FECIT F. TEMPSKY.

MDCCCLXXXVII.

Vindobonae, typis Adolphi Holzhauseni.

PRAEFATIO.

Utebar in edenda hac vetusta Nemesii versione codicibus duobus, Bambergensi (B) et Pragensi (P). Ac Bambergensis quidem idem est, quem Carolus Rudolphus Fickert (in praefatione volumini III. operum L. Annaei Senecae praefixa, pag. VI. edit. Lips.) obiter describit indicans hunc codicem, M. IV. 16. Jaeck N:° 1089, membranaceum, saeculi XI., foliorum 69, column. 1, lin. 38, Fol., praeter Naturalium quaestionum libros etiam *alia* continere. De eodem libro Georgius Müller in dissertatione de L. Annaei Senecae quaestionibus naturalibus nuper edita[1]) admodum accurate egit, ita ut de totius codicis aetate, specie, natura universe disserere facile supersedeam. Hoc unum annotavisse sufficiat Asclepii, Senecae, Nemesii libros, qui in cod. Bambergensi leguntur — reliqua enim sciens praetermitto — saeculo XIII. ab uno eodemque librario esse exaratos. Versionis Nemesii desunt in hoc codice capita septem: XXXV.—XXXVIII. et XLII.—XLIV.[2]) Reliqua, a fol. 45. v. — fol. 69. r., hoc ordine scripta sunt: I.—XIX., XXI., XX., XXII., XXVI., XXVII., XXIX.—XXXIV., XXXIX.—XLI., XXVIII., XXV., XXIII., XXIV. Hunc capitum ordinem, quem perversum esse ipsa rei natura satis demonstratur, ligator aliquis magis etiam turbavit.

Folium enim illud, quod nunc in cod. Bambergensi numero 67. insignitum est, olim 65. fuit. Trium igitur foliorum,

---

[1]) Bonnae, typ. Car. Georgi, 1886.

[2]) Capitum indicibus, qui in libris BP desunt, iisdem utor, quibus Chr. Frid. Matthaeius.

quae nunc habentur 65., 66., 67. ordinem ligator commutavit. Neque ulla manifesto errore oritur difficultas. Folium enim 64. in haec verba desinit: „neque de his" (cf. hujus versionis pag. 83. l. 1.); folium autem 67. his verbis incipit: „que dis quae dicta sunt", unde facile apparet librarium finem folii 64. mente tenuisse, cum proximum folium (67.) exararet. Simili modo folium 66. folio duodeseptuagesimo excipitur. Illud enim explicit syllabis: „secundum acci", hoc vero incipit syllabis: „dens fiant". Sic etiam ultima verba folii 67., quae sunt: „in anima" continuantur primis syllabis folii 65.: „libus et plantis", ita ut pristinus harum paginarum ordo dubius esse non possit. Etiam de tempore, quo haec pestis codicem ceteroquin sanissimum invaserit, conjecturam facere in promptu est. Conspiciuntur enim, ut in anteriore, sic etiam in posteriore tegiminis parte insignia quaedam auro picta, quorum illi quidem nomen capituli Bambergensis inscriptum est, in hoc autem praeter alia index anni MDCXI facili oculorum labore deprehenditur. Aut hoc igitur anno, aut post id tempus folia illa, quae supra diximus, conglutinata et confuso demum ordine numeris insignita sunt.

Codex Pragensis bibliothecae Metropolitanae L 94, foliis I. r. — XXI. r. L. Annaei Senecae Naturalium quaestionum libros, foliis XXI. v. — XXV. v. Asclepium, foliis XXVII. r. — XXXIX. r. Nemesii librum περὶ φύσεως ἀνθρώπου in sermonem latinum conversum complectitur. Folia XXVI., XL., XLI. vacua, praeterea etiam paginae 50.ae et 77.ae partes magnae et omnis pagina 78. vacuae relictae sunt. Addo codicem constare foliis membranaceis formae minoris singulasque paginas in binas linearum XLVIII columnas divisas esse.[1]) Libra-

[1]) Continetur igitur Nemesius columnis L, quas dimidiatas in margine hujus editionis enumeravi. Notavi praeterea versiculorum uniuscujusque columnae seriem duplicique hoc numerorum genere in citandis exscribendisve hujus versionis verbis per totum hoc opus utebar.

riorum manus in Nemesio — nam de hoc solo dicam — deprehenduntur duae. Quarum altera non solum textum omnem aequabili ductu, sed adhibitis permultis syllabarum compendiis perscripsit, sed etiam omissa in margine addidit et errata pleraque correxit. Nonnullis autem locis, ut dicam, quod sentio, dubitari potest, utrum vere una eademque manus haec omnia exaraverit, an altera quaedam manus priori aetate suppar statui debeat, quae lineolas nonnullas, quibus aut corriguntur literae aut compendia syllabarum mutantur, addiderit. Qua de re ubicumque ne atramenti quidem colore certior fiebam, in apparatu critico correctoris manum obiter modo indicavi; ubi certus mihi videbar, manum primam correxisse apertis verbis significavi. Attamen etiam nunc, postquam totum Nemesii codicem identidem perlegi, haec omnia non minus, quam literas initiales rubrica pictas, quibus capitum initia distinguuntur, ab una eademque manu profecta esse credere malo. Longe diversa ab hac librarii manu et toto saeculo posterior illa est, quae in codicis folio XXXVII. v. (cf. 86. 27 et 86. 29) vocabula duo, quae manus prima omiserat, in margine addidit. Haec est, quam in apparatu critico manum recentem nominavi.

Primam Senecae Pragensis Asclepiique notitiam Carolo Schenkl debemus, cujus verba ea, quae memoratu dignissima sunt, infra apponam.[1]) Codicem enim Pragensem cum Bambergensi artiore quodam cognationis vinculo conjunctum esse Vir Clarissimus jam ante hosce XXIII annos verissime, ut mox ostendam, suspicatus est. Utilissimum etiam de eodem

---

[1]) Sitzungsber. der kais. Akademie der Wissensch., phil.-hist. Cl., 1863, XLIV. Bd., 1. Heft, pag. 33 Anm.: „Der Text der Quaestiones nat. stimmt im Ganzen mit dem Bamberg. n. 1089 . . . Bei der eben nicht grossen Anzahl von Hilfsmitteln, die uns für die Textkritik der Quaest. nat. zu Gebote stehen, dürfte eine Vergleichung dieser Handschrift (sc. cod. Prag.) vielleicht nicht ohne Werth sein.“

codice Aloisius Goldbacher suffragium tulit.[1]) Nam cum liber Pragensis, antequam in Goldbacheri manus perveniret, saeculo XI. exaratus crederetur, is V. D. eum saeculo XIII. ascripsit. Cui judicio non solum Georgius Müller et — id quod summopere juvat scire — Hermannus Usener astipulantur,[2]) sed etiam ego nunc ex animi mei sententia accedo. Nam ubi primum codicem Pragensem e manibus Canonici doctissimi Clementis Borowii, qui nunc bibliothecae Metropolitanae praeest, accepi, collatis quibusdam codicum saeculi XII. imaginibus a Chatelaino editis huic potissimum saeculo librum meum, etiamsi non debere omnino, attamen posse ascribi putabam; sed postquam singulari Friderici Leitschuh, bibliothecarii Bambergensis humanitate effectum est, ut librum Bambergensem cum Pragensi juxta conferre mihi liceret, hunc ab illo aetate superari vel ipso oculorum obtutu mihi persuasi. Quodsi, ut diximus ante, codex Bambergensis saeculo XIII. exaratus est, Pragensis libri origo ad finem ejusdem saeculi descendit.

Ceterum Aloisius Goldbacher, cum in eo esset, ut Asclepium ederet, subsidio Pragensi abstinere, quam uti maluit, bonis videlicet nihil magis officere ratus, quam meliora. Neque dubito, quin V. D. hunc codicem in tanta praestantiorum librorum multitudine atque eo praesertim tempore, quo Asclepius Bambergensis latitabat, jure neglexerit. Attamen, si quando apparatus criticus ad Asclepium codicis Bambergensis lectionibus augebitur, num pendeat omnino Asclepius Pragensis ab illo et, quae lux ex toto hoc loco lectionibus obscuris affulgeat, non inutile erit perquirere.

Ac Georgius quidem Müller, qui praeter alia de lectionibus Annaeanis diligenter docteque disputata etiam de similitudine codicum B et P quaestionem instituit schedulis quibusdam meis

---

[1]) Apulei Madaur. opusc. rec. Al. Goldbacher, Vindob. 1876, praef. pag. X.

[2]) Cf. dissertat. Müllerianae, pag. 6.

usus Hermanno Usenero commissis, codices B et P ex eodem fonte derivatos aut, ut ait ipse, fratres esse censuit. Nec tamen amplius ego, postquam ipsum librum Bambergensem vidi, ejusdem sententiae socius auctorve esse volo. Nam si quidem ex ea codicis parte, qua Nemesii versio continetur, etiam de Senecae libris, quos attigi levissime, judicium facere licet, codex Pragensis non ex eodem fonte, sed ex ipso libro Bambergensi fideliter descriptus est.

Quam sententiam ut saltem de Nemesio comprobem, praeter ea, quae singulatim in apparatu critico exponuntur, haec fere universe explicare sufficiet. Ac primo quidem in codice Pragensi eadem Nemesii capita eodemque ordine disposita inveniri, quo in libro Bambergensi leguntur, vix est quod pluribus persequar. Etiam literae initiales, quibus capitum initia distinguuntur, iisdem locis pictae sunt, quibus in codice Bambergensi, qui hoc ornamento excepto primi capitis exordio caret, spatia his ipsis literis initialibus destinata a librario vacua relicta sunt.

Quas literas indoctum codicis P librarium non ex antiquiore libro petivisse, sed proprio Marte addidisse ex eo intelligitur, quod desinentibus earum vocum syllabis, quarum literae initiales in codice B desunt, bis in errorem deductus est. Cf. apparatum crit. ad 8. 43 et 72. 38. Priore loco librarius B omissa litera *H* solum *ō* scripsit vocem *Homo* aptiore videlicet tempore exaraturus. Librarius P autem particulam *Non* significari putabat. Speciosius vero etiam altero loco erravit. Nam cum librarius B syllabas *oni* incerto quodam signo in vocali *o* posito exornaverit sic, ut omissa praesertim litera initiali dubium de vera lectione facile oriri posset, librarius P *Sōni* descripsit, quod *Somni* est, quum *Rationi* legi deberet. Animadverso autem errore idem, opinor, librarius in ipsum rubricae S ambitum literam R atramento ascripsit.

Tum lacunae reputandae sunt, quibus codex Bambergensis abundat. Quarum longiores pleraeque, ubi plus duo triave

vocabula exciderunt, homoeoteleuto explicantur. Sed qualiacumque sunt ea, quae in cod. Bambergensi desideramus, haec omnia etiam librarius P omisit ita, ut ne unam quidem harum omnium lacunarum ex antiquiore codice expleverit. Itaque siquando textus Pragensis Bambergensem vocula una superat, hoc explementum e solo librarii arbitrio originem duxisse et levissimae conjecturae instar habendum existimo.[1]) Quod ut statuam, eo etiam adducor, quod, cum librarius P inter ipsum quidem describendi laborem satis multa atque adeo integros nonnunquam versiculos omiserit, resarciens vero laborem suum, quaecumque sua culpa praetermiserat, paucissimis quibusdam voculis exceptis in margine apposuerit, profecto nullus est inter hos locos omnes, quem non etiam librarius Bambergensis summa cum fide posteritati tradiderit.

Unico autem loco eo,[2]) ubi librarius Pragensis voces duas inter versiculos ascripsit sic, ut, cum desint in libro Bambergensi, aliunde videri possint esse petita, textu graeco adhibito manifestum fiet librarium Pragensem eandem lectionem ante oculos habuisse, quam Bambergensis perscripserat. Nam quoniam Nemesius illic ait: τίς ὁ λόγος τοῦ τὸ ζῶον ἓν λέγεσθαι, in libro Bambergensi autem legitur: „quae erit ratio, ut dicatur anima unum“, literam *l* solam a librario omissam esse apparet. Librarius vero Pragensis nimirum ingenio suo fretus scripsit: quae erit ratio, ut dicatur anima „cum corpore unum„. Nulla igitur hinc statui potest antiquioris cujusdam codicis auctoritas.

Idem denique e verbis quibusdam duplici lacuna interruptis disci potest.[3]) Uterque illic codex praebet: „*Nuтm ua ē* humor iste“, cum scribi debuerit: „Nutrimentum enim vasorum horum est humor iste“. Mirum certe, si librarii duo eundem

---

[1]) Cf. 41. 10, ubi librarius P infinitivum *esse* inter lineas recte supplevit, cum B *est elementa* praebeat.

[2]) Cf. quae ad pag. 34. l. 36 annotavimus.

[3]) Cf. pag. 96. l. 4.

describentes codicem archetypum simplicissima haec verba textu graeco apposito extricare non potuerint. Facile autem is saltem excusatur, qui Pragensem librum exaravit, si nec textus Nemesii graecus ei praesto fuit, neque alio omnino subsidio utebatur, quam ipso codice Bambergensi, quem describere jussus erat.

Multo vero etiam latius tertium patet similium diversorumque locorum genus, quod totum in singulis vel binis literis compendiorumve lineolis versatur.

Atque inter bonas quidem codicis Bambergensis lectiones, quas etiam liber Pragensis praebet, nulla omnino potest esse, quae ad solvendam hanc quaestionem quidquam conferat, quam de affinitate horum codicum instituimus. Nam quae bonae genuinaeque sunt in utroque codice lectiones, originem eorum non produnt, cum omnis quaestio tam artis duorum librorum finibus circumscripta sit. Verendum etiam, ut codicum origo ex iis bonis libri Bambergensis lectionibus possit indagari, quas librarius Pragensis fallaci quadam verioris sensus specie deceptus imprudenti mutatione pessumdedit. Veluti in pag. 56. l. 38 scribens: „mediam vestem“, cum antea „medium vectem“ exhibuisset, quod B praebet, a simplicissima laudabilissimaque interpretis voluntate consulto quidem deflexit; sed si liber archetypus ipse ei fuisset describendus, in hoc errorum genus nihilominus poterat incidere. Plus certe, utpote in re dubia et subtili, ii loci valent, quibus codex Bambergensis solus veram lectionem servavit, Pragensis autem librarius obscuriorem aliquem literarum ductum, qui ei depingendus erat, falso intellexit. Atque hujus quidem generis errores librarius P alios, postquam scripsit, correxit, alios non animadvertit; cf. 40. 29, ubi codex B *mingentia* praebet, codex P *in ingentia,* quod postea radendo in *mingentia* commutavit; cf. etiam 15. 23, ubi codex B recte praebet „unione“, P autem perperam „in uocem“. Cum vero his aliisque ejusdem generis locis litera-

rum ductus in codice B is sit, ex quo librarii P errores facile explicari possint, verisimile est antiquiorem illum codicem, quem librarius B descripsit, iisdem locis facile legi potuisse, quibus librarius P propter ductuum, quos ante oculos habebat, obscuritatem in errorem incidit. Non igitur librarii B et P eundem codicem descripserunt.

Jamjam autem, quoniam de bonis codicis B lectionibus satis disputavimus, ad pravas ejusdem codicis lectiones progrediamur. Atque harum quidem librarius P alias servavit, emendavit alias, alias etiam deturpavit. Triplex igitur haec quoque est ejusdem generis locorum species. Ex quibus cum alia, tum haec fere exempla memoratu digna videntur: Pag. 69. lin. 24 BP exhibent: „quod secundum quem unumquemque" pro „quod secundum unumquemque". Cum vero in codice B voces „quem unum" inter versiculos positae sint, ita ut etiam causa, quae librarium in errorem induxerit, manifesta sit, librarius P has voces tamquam in legitimum verborum ordinem recepit.

Emendationum autem librarii Pragensis series est duplex. Alios enim qui in codice B leguntur errores librarius P inter ipsum scribendi laborem correxit, velut 9. 6, 17. 24, 40. 25, 59. 10, 91. 7, ubi codex B falso exhibet: *tēpe* (tempore), moriribus, ton, emoriale, luxiriandi, librarius vero Pragensis recte scripsit: *tpc̄* (tempus), moribus, toti, memoriale, luxuriandi; alios autem locos librarius P primum quidem eodem errore inquinavit, quo in libro Bambergensi corrupti sunt, ac tum demum adhibita scalpelli ope correxit. Sic 2. 25, 51. 3, 75. 21 codex B praebet: Au, noruit, orgamea, quae librarius P correxit scribens: ab, noluit, organica. Addo in cod. P locos conspici haud paucos, qui ne rasurae quidem honore dignati sint, sed in quibus simplicior correctoris opera appareat; velut 58. 26, 62. 31, 67. 19, ubi B quidem praebet: eam, tracheateria, diffini, P autem recte: *ea/n̤*, trache^ar^ateria, diffini^unt^.

Argumento vero vix mihi opus esse sentio, si contendam veriores hasce lectiones originem suam non ex antiquiore aliquo codice duxisse, sed a libero librarii P arbitrio pendere.

Denique, ut dixi ante, nonnullis locis, quibus jam librarius Bambergensis turpe vitium insperserat, librarius Pragensis turpiorem etiam medicinam paravit; cf. 5. 23, ubi B exhibet: „ei $\underset{\cdots}{\overline{au}}$ perfectionem". Librarius igitur B falso $\overline{au}$ (= autem) scripsit pro $\overline{an}$ (= ante) et errorem suum punctis notavit, videlicet veram lectionem $\overline{an}$ juxta appositurus. Sic igitur hoc loco et vera archetypi lectio et erroris origo etiam e falsa libri Bambergensis lectione facile cognoscitur. Librarius P autem praepositionem „ante" plane omisit, punctis illis, ut equidem puto, quibus librarius Bambergensis errorem suum notaverat, in graviorem etiam errorem deductus.

Triplici igitur via ac ratione, si quis summam spectet horum argumentorum omnium, codicem Pragensem non ex ignoto quasi fonte fluxisse, sed ex ipso libro Bambergensi descriptum esse demonstratum est.

At si quis eas, quas supra protulimus, codicum B et P differentias et ipsam quoque universam eorum similitudinem satis inde explicari posse dicat, si liber archetypus, ex quo uterque codex manaverit, aut plane codici Bambergensi similis fuerit aut libri Pragensis formam ac speciem non universe modo, sed etiam in minimis quibusque rebus retulisse statuatur, quo tandem argumento ad defendendam sententiam nostram utemur? Sunt enim, qui negent omnino id posse fieri, ut argumentis ex apparatu critico petitis ostendatur codicem aliquem ex ipso altero aliquo libro descriptum esse; deperditum enim codicem tertium semper non solum animo fingi, sed etiam cogitatione accuratius posse informari, e quo servati alterius libri origo repetatur.

Nisi igitur argumenta extrinsecus petita ipsam alterutrius codicis originem prodant, non plus illi duorum codicum lectio-

nibus probari posse concedunt, quam aut neutrum codicem ex altero esse descriptum, aut alterutrum saltem codicem ex altero *non* duxisse originem.

Quibus, ut pro viribus aliqua saltem ex parte satisfaciam, tribus illis, quae supra exposui argumentis e literis initialibus, lacunis, singulis codicum lectionibus petitis, quartum addam, quod, quamquam ex ipso libro Bambergensi erui debebat, tamen extrinsecus accessisse optimo jure contendam.

Folium enim 63. v. codicis B et folii 10. v. columna prior codicis P iisdem verbis („praecipua vero sunt“, cf. 78. 48) clauduntur, cum tamen capitis XXXI. finis proximus sit. Atque hoc semel forte evenisse aliquis non sine veri specie contendat. Sed in codice Bambergensi post verbum „facit“, quo folium VIII. codicis Pragensis finitur (64. 48) recta quaedam lineola eodem atramento picta est, quo librarius Pragensis totum codicem suum perscripsit. Exarato igitur folio codicis sui VIII vo librarius Pragensis in codice eo, quem describebat, finem illius folii notavit atque sic describens codicem Bambergensem manifesto deprehenditur.

Ex uno igitur codice Bambergensi, si respiciatur lectionum origo, omnis nostra pendet hujus Nemesii interpretationis notitia.[1])

Cum autem hic liber, quamquam non sine diligentia exaratus est, jam scateat erroribus iis, qui non ad ipsum interpretem, sed ad indoctos quosdam librarios referri debeant, verisimile non est eum ex ipso interpretis exemplari descriptum esse. Hinc autem, quoniam codicem Bambergensem saeculo XIII. ascripsimus, non sine veri specie colligitur interpretationem ipsam ad XII. saltem saeculum redire. Itaque etiamsi vanam augenda ejus vetustate gloriam appetere in animo non est,

---

[1]) Quam ob rem futuri Nemesii editores codicis Pragensis rationem raro habebunt. Ego in apparatu critico lectiones ejus diligenter enotavi, quo magis sententiam de eo prolatam probarem.

libere tamen profitendum videtur eam antiquissimis Nemesii codicibus graecis, qui quidem aetatem tulerunt, esse coaevam. Hos enim, Dresdensem dico D_1 et Augustanum A_2, Matthaeius affirmat saeculo XII. esse exaratos.

Sed in aestimanda codicis Bambergensis utilitate longius etiam progredi licet. Nam nisi vetusta Nemesii interpretatio alterutrius codicis graeci (D_1 aut A_2) textum repraesentat, ex ignoto adhuc fonte petita est. Novus autem ille Nemesii codex (cod. β), quem ex interpretatione latina non solum cogitatione adumbrare, sed accurate refingere possumus, aut saeculo XII. scriptus est, aut multo etiam fuit vetustior, ita ut nobile subsidium Nemesii editionem paraturis accesserit. Atque haec omnino fuit causa, quae me adduxit, ut hanc interpretationis latinae editionem susciperem eamque apparatu critico instruerem.

Sed priusquam de ratione et consilio, quibus hanc editionem instituerim, singula persequar, de ipsa etiam vetusta Nemesii interpretatione nonnihil praefabor. Duplici enim officio mihi satisfaciendum esse sentio, primum ut de auctore, aetate, virtutibus ac vitiis hujus interpretationis, quae indagare potuerim, pluribus exponam, tum ut validis argumentis comprobem eam non esse ad codicem Dresdensem Augustanumve accomodatam.

Ac quoniam primum de nomine interpretis inquirendum videtur, quis est, quin illico de Joanne Burgundione conjecturam faciat?

De hoc enim jurisconsulto et judice Pisano, Friderici imperatoris praefecto,[1]) qui anno MCLXXXXIV. obiit, Jo. Albertus Fabricius[2]) e Laurentii Pignorii epistula XXXIX. praeter alia

[1]) Cf. Joannis Cononis praef. ad Gregorii Nysseni philosophiae libros VIII. Basileae 1512.

[2]) Cf. Fabr. Bibl. gr. vol. VII. p. 550. et p. 647. et Bibl. lat. med. et inf. aetat. tom. I. p. 281. et 273. Cf. etiam Matthaeii praef. p. 7. et 33. (qui eundem Burgundionem Richardum nominat).

haec fere excerpsit: „Incidit etiam in manus meas versio libelli nescio cujus Gregorii Nysseni ita inscripta: Liber B. Gregorii Nysseni incipit: Invictissimo et gloriosissimo Domino.“ Friderico enim imperatori hic liber oblatus est anno MCLX. Finiebat autem verbis: „propter utilitatem illorum abstulerunt“. Ac Nemesii Emeseni opusculum de natura hominis significari jam Fabricius vidit, titulus autem ejus vel ipsum Pignorium latuisse videtur. Is enim erat: „Liber de anima“, si Joanni Diacono Veronensi fides est, cujus ex Historia Imperiali Gustavus Gallettus hoc attulit. Ac ne quis hoc titulo deceptus, qui Nemesii operi universo accomodatus non est, Burgundionem partem modo totius libri vertisse suspicetur, ultima capitis XLIV. verba, quae sunt: διὰ τὸ συμφέρειν ἐκείνοις ἀφεῖλοντο cum illis comparavisse sufficiet, quae Pignorius extrema latinae interpretationis verba fuisse affirmat. Eadem enim sunt, ita ut dubitari nequeat, quin Burgundio totum Nemesii librum in sermonem latinum converterit. Neque omnino Albertus Fabricius hac de re dubitabat, licet ipse hanc Burgundionis interpretationem non viderit. Utebatur autem ea Joannes Cono Norimontanus (Co.), Marci Musuri discipulus, qui Beato Rhenano hortante eundem Nemesii librum Gregorii Nysseni nomine falso inscriptum latine interpretatus est. Atque ad hunc Cononem solum ea omnia videntur redire, quae doctis posterioris aevi hominibus de vera libri Burgundionis indole omnique ejus interpretandi genere innotuerunt.

Is enim in epistula ad Beatum Rhenanum data, quam operi suo [1]) praemisit, cum alia, tum haec fere de Burgundionis interpretatione scribit: Gregorii Nyssae episcopi librum . . . olim a Burgundione Pisano . . . vel indocte e graeco versum vel *vetustate temporis* aut *librariorum inertia depravatum* . . .

---

[1]) Editionem principem Basileensem anni 1512 non vidi, sed altera usus sum, quam Nic. Episcopius anno 1562 paravit, in qua Cononis liber inter Gregorii Nysseni opera legitur pag. 471—550.

peregrina Gothicaque barbarie offundi, ut *neque legentibus sensa elucere possint,* imo *fastidium illa barbarolatina structura et vocum extorta affectataque fictio ingerat.* Atque altero loco Cono in eadem epistula queritur, quod Burgundio iste versione sua, quae rectius inversio dicatur, *Graeca quidem bona et lepidissima sordidis Latinis immergens* et *verbum verbo reddens* foedaverit, et gloriatur fere, quod per haec *verborum portenta et sensorum vepres,* licet *omnia scatere mendis* omniaque *inversa et cuncta fere Gothica et peregrina esse* senserit, tamen a *capite usque ad finem* transcurrerit. Neque minus acerbe Burgundionis laborem perstringit, quotienscumque laudantis aut saltem excusantis personam induit. Haec enim tertio quodam ejusdem praefationis loco dicit: „Ceterum absit a me haec indignitas, ut Burgundionem παραφραστὴν illum Latinae linguae ignarum vel operosum illius studium et conatum ab omni prorsus laude proscribam. Quin potius illi gratias non mediocres habeamus, cujus occasione nostra clariora reddere potuimus et quasi in sordibus repertum aurum suo nitori restituere. Absque enim Burgundione nec penitus haberemus hanc praeclaram Gregorii Nysseni philosophiam demusque potius hoc horrisonum et Gothicum dicendi genus temporum vitio, quo omnes bonae artes et cultiores literae sepultae erant et quasi exstinctae. Quid quaeris? Nonne Burgundio praefectus votis omnibus optasset, ut Gregorium Nyssenum suo decore Attico incedentem vel Liviana eloquentia aut Ambrosiana gravitate Imperatoriae majestati potius, quam Sarmatica sua eloquentia horridula et incompta protulisset atque consecrasset? . . . Sed non poterat divo Friderico Caesari praeclarius quidquam afferre.“

Haec igitur est illa Cononis in vetustum Burgundionis librum declamatio. Nec modice, si quis mihi credat, vitia ejus exaggeravit. Unde enim per deos jurisconsultus Pisanus Gothica et praesertim Sarmatica illa hauserit, quae sermoni suo immi-

sceret, cum tamen idem inter doctos illius aevi Pisanos summa interpretis laude floruerit? Atque hoc non solum inde suspicamur, quod Burgundio librum suum Friderico Imperatori inscribere non dubitavit, sed etiam ex epitaphio ejus discimus, quod Fabricius e Mutii Pansae Bibliotheca Vaticana attulit.[1])

Facile igitur concesserim Cononem vetustiorem illam Nemesii interpretationem sescentis locis emendare aut plane etiam reficere studuisse, ubicumque Burgundionem aut sententiarum nexum vel singula quaedam vocabula non intellexisse aut vulgares quasdam municipalium suorum voces sermoni latino inspersisse senserat; sed plura etiam Cononem in librum suum, uti erant, transsumpsisse aut levissima quadam mutatione expolivisse putaverim. Veluti si quis ultima illa capitis XLIV. verba, quae supra e Burgundionis interpretatione attulimus,[2]) a Conone sic conversa legat: „propter illorum utilitatem abstulerunt“, non solum Gothica illa et Sarmatica Burgundionis vocabula frustra quaeret, sed etiamsi repugnare studeat, coactus profitebitur Cononem in Burgundionis vestigiis etiam ibi mansisse, ubi abscedere facile erat.

Ac revertatur nunc jam, postquam totum hunc de Burgundione atque Conone locum absolvi, ad Bambergensem codicem oratio. In quo, si caput Nemesii XLIV. benignior servavisset fortuna, vel ipsa ultima libri verba satis amplam materiam praeberent, ex qua de tota conjectura illa judicaretur. Destitutus autem certiore illo argumento in levioribus quibusdam et veri similibus, quamquam invitus, versabor.

---

[1]) Haec enim est epitaphii illius clausula:

Doctor Doctorum jacet hac Burgundius urna
Schema magistrorum laudabilis et diuturna.
Dogma Poëtarum, cui Litera Graeca Latina
Ars Medicinarum patuit Sapientia trina.
Et nunc Pisa dole, tristeris Thuscia tota
Nullus sub Sole est, cui sic sunt omnia nota (et q. s.).

[2]) „propter utilitatem illorum abstulerunt“ cf. pag. XIV.

Ac primum quidem, quae vitia in Burgundionis interpretatione jure reprehendi poterant, ea omnia etiam hoc vetustum incerti adhuc interpretis opus, quod editurus sum, deformant. Desunt sane Gothica et Sarmatica illa, quae Cono apud Burgundionem se legisse hariolatur, sed aliquot profecto locis vetusta haec interpretatio vulgari Italorum sermoni proxima est. Pinguedo enim plus semel *anxugia* vocatur (cf. 2. 46, 39. 8, 39. 17), quam Itali *songia* nuncupabant,[1]) 10. 32 *repausatio* pro requiete, 75. 5 *tormentare* notione puniendi usurpatur. Ex iis autem, quae singulatim quidem etiam apud melioris notae scriptores leguntur, acervatim vero frequentata sermonis colorem commutant, haec quasi specimina sermonis afferam: modernus (13. 3), factura (κατασκευή, 12. 35), annullare (12. 48), plagare (78. 44), confortare (94. 41), quorum pleraque in indicem verborum ablegare satius est.

Nonnunquam interpres etiam depravatis verborum latinorum formis utebatur aut in sententias male conjunctas pejores etiam locutiones infersit.

Nam scripsit: geometri (50. 33), Lacedaemones (86. 36), in agere ponunt (ἐν τῷ πράττειν τίθενται, 74. 46), ut . . . erit (ὥστε ἔσται, 19. 13), cum . . . nascuntur (καὶ γὰρ . . . τίκτεται 28. 25), ut nonnulla saltem hoc loco afferam.

Multo vero etiam frequentiores ii interpretis errores sunt, in quos propter mediocrem linguae graecae cognitionem incidit. Quorum haud pauci, opinor, etiam codicis graeci, quo utebatur, obscuritate excusantur. Ac praecipue interpunctio codicis Bambergensis tot erroribus confusa est, ut hos omnes ad librarium Bambergensem et ipsum interpretem redire verisimile non sit. Sed interpretem sermonis graeci minus peritum fuisse, quam „Doctorem Doctorum“ decebat, non solum ex sententiis

---

[1]) Cf. Jos. Laurentii Amaltheae onomasticae (Lugdun. 1664) pag. 78: Axungia, interior porci pinguedo, Songia, Axunga, et Diefenbachii suppl. lex. med. et inf. lat. Ducangii s. v. anxugia.

multis male intellectis et verbo tenus modo conversis,[1] sed praecipue e singulis quibusdam vocabulis proditur, quae aut alieno sensu latine reddidit aut etiam latinis modo literis transscribere satis habuit. Veluti cum scribit: selachia (17. 6), malachia (17. 7), sfikes (17. 17), astaci (17. 8), adenes (95. 1), kypseli (97. 19), aut cum dicit: didascalus (34. 40) pro magistro, spondilius (74. 35) pro σφόνδυλος, aestus (92. 38) pro αἰθάλη, spolia (7. 16) pro φολίδες, diaforesias (7. 27) pro διαφορήσεις, tyriacae (12. 44) pro θηριακαί, sensibilitas (7. 18 et 20) pro ἐσθής, sentientes (8. 32) pro ἰώμενοι, fasianos (11. 3) pro φάσσαι, abundantes passiones (13. 9) pro πλεονεκτήματα, inquirit (13. 25) pro ὠνεῖται, in haplis (21. 13) pro ἐν ἁπλοῖς, regionalis in regione (34. 25) pro χορευταὶ ἐν χορῷ, disponens (35. 10) pro θεσπίζουσα, lucerna (35. 19) pro θρυαλλίς, obaudientes (38. 41) pro προςηκούσας, lateribus (42. 38) pro κεραυνῶν, pulverem (50. 33 et 36) pro κῶνον, deviet (53. 7) pro ἀπατήσῃ, contrabit (54. 33) pro συνταράσσει, perfectio (63. 6) pro τελεία, actio (67. 18) pro πείσεις et permulta hujus generis, quae in apparatu critico appositis ipsis Nemesii verbis notavi, aut tardum saepe ingenium aut miram interdum sermonis et graeci et latini ignorantiam prodit. Quae cum ita sint, integros Nemesii locos eos, a quorum sensu interpres aberraverit, hic singulatim exponere supersedeo. Nam quo quis severius vanam Cononis jactationem perstringat, eo facilius etiam, quaecumque in Burgundionis libro suo jure vituperaverat, in hac vetusta interpretatione videri reprehendenda, ex his vitiis codicis Bambergensis satis apparet. Neque est omnino inter haec vitia ullum, in quod Burgundio incidere non potuerit. Non igitur hac via procedendum erit, si quis conjecturam illam de Burgundione prolatam refellere studeat.

---

[1]) Veluti si 91. 22 „praeter expertorum“ scripsit, quia graecum πλὴν genetivus sequebatur. Hunc enim a substantivo quodam praecedente pendere putabat. Ceterum interpres πεπηρωμένων confudit cum πεπειραμένων. Quamobrem corrigenda sunt, quae in app. crit. notavi.

At dicat aliquis e lacunis codicis Bambergensis et interpretationis Norimontanae indagari posse verene verum Burgundionem invenerimus. Non pauca enim in utraque interpretatione diversis locis exciderunt. Desunt in codd. BP verba: 5. 2 μετιέναι — καλά, 9. 11 ἴδιον — πολυπάθειαν, 43. 24 ὡς — τετραφαρμάκῳ, 46. 25 μὴ — σῶμα, 76. 28 ἢ — κακόν, 90. 42 ὡς — ἐκτίσθησαν et alia pleraque, quae apud Cononem leguntur.

Permulta vero etiam ea sunt, quae, cum apud Cononem desiderentur, in codicibus BP exstant, veluti: 16. 26 quod enim — dicitur, 23. 18 Corpus — consistit, 43. 1 similiter — exstinctus, 49. 13 sed — sensus, 81. 13 praeelectionem — falsam, 81. 14 non — singula, 85. 4 Sed — foderet, 90. 42—44 Sed accidit — obtinent.

Atque ex hoc quoque lacunarum genere multo plures facile poteram afferre. Nihil autem, opinor, ex hac lacunarum comparatione consequitur, quod conjecturae illi, quae de Burgundione interpretationis Bambergensis auctore supra prolata est, omnino obstet. Cono enim praeter Burgundionis librum etiam codicem graecum in opere suo conficiendo adhibuit et multis locis, quibus ille defecerat, e Basilii Magni, Joannis Damasceni aliorumque scriptis satis multa, ut ipse in epistula illa ad Beatum Rhenanum data profitetur, supplevit. Quid mirum igitur, si etiam Burgundionis interpretationem nonnullis locis resarsit. Ex iis autem, quae Burgundio sua manu perscripserat, librariorum incuria nonnulla in eo libro excidere potuerunt, ex quo codex Bambergensis — si quidem haec videatur vera hujus libri origo — descriptus esse dicetur. Nec minus facile in Cononis interpretatione nonnulla ipsius monachi Norimontani neglegentia excidere poterant — ita ut argumenta ex hoc loco petita vana et irrita videantur.

Nec mutato capitum ordine aut diversa eorum divisione quidquam certi hac in re efficitur. Perversus enim ille ordo, quo Nemesii capita in codice B disposita leguntur, nullius

librarii consilio, sed solo casu explicari potest; non magis igitur ad Burgundionem, quam ad ullum exemplar graecum redit. Quam ob rem non mirum, si capitum ordo apud Cononem differt. Solo autem loco eo, ubi capitum ordo, quem B exhibet, ab editione quidem Ellebodii differt simulque cum aliquot codicibus graecis concinit — quod in capitibus XXI. et XX. factum esse constat, quae non solum in B P, sed etiam in D_1, A_3, M_1 inverso ordine collocata leguntur — ibi praeter Vallam etiam Cono cum BP conspirat. Ubi autem Cono insolitum quendam paragraphorum ordinem praebet, proprio arbitrio eum instituisse videtur. Pariter igitur eo loco et a codicibus graecis et a codice Bambergensi discedit, quod a Matth. p. 171—174 accidisse videmus, cum haec verba: διαιροῦνται — τῶν αἰσθητηρίων inter capita XI. et XII. transtulerit.

Similia vero etiam de capitum divisionibus facili labore ostendi possunt, quippe in quibus Cono haud exigua Marte suo novaverit.

Accedit in re dubia multisque difficultatibus intricata, quod apud Cononem admodum pauca me legere memini, in quibus vetusta haec interpretatio, quam Bambergensem breviter vocabo, in pejus commutata dici possit. Monachus igitur Norimontanus, qui haud modice gloriatur, quod sescentos Burgundionis errores correxerit, simul etiam totidem interpretationis Bambergensis vitia vitavit. Quod quam sit mirum, facile e Vallae (Va.[1]) exemplo disci poterit. Atque hic quidem plane reticet, quibus subsidiis in Nemesii libro interpretando usus sit, sed in unoquoque capite prodit interpretationem Bambergensem sibi cognitam non fuisse. Veluti cum Valla p. 17. 5 τοὺς νεφροὺς vocis sono deceptus *nervos* dici putet, ubi in codd. BP

[1]) Nemesii philosophi clarissimi de natura hominis liber utilissimus Georgio Valla Placentino interprete. Lugduni apud Seb. Gryphium 1538. Hunc librum Guilelmus Hartel, Eques clarissimus, benigne mihi commodavit.

renes legitur, aut cum p. 29. 13 pro δεῖσθαι *vinciri* dicat, ubi BP recte *indigere* exhibent, aut cum p. 61. 8, quae de lanario (sic BP, ἐριουργοῦ) dicuntur, de sacerdote (ἱερουργοῦ) dicta putet, aut cum p. 93. 17 λοβοῖς et λωβαῖς (summitatibus BP, summis fibris Co., profligationibus et perditionibus Va.), aut p. 96. 46 κύημα et κῦμα (conceptum BP, undam Va.) confundat, dubium jam non est, quin interpretationem Bambergensem ignoraverit. Qua argumentandi ratione usus si quis etiam de Cononis versione judicium certum ferri posse putet, in errorum hujus generis paucitate haerebit. Quorum gravissimum et ad solvendam hanc quaestionem efficacissimum eo loco repperisse mihi videor, quo Matthaeius quidem p. 147 πόροι, codices BP: 39. 17 *pori,* Cono autem p. 500. *tophus* scribit; πῶρος igitur aut legit aut intellexit. Cum autem e Cononis p. 509. (Matth. p. 189.) manifestum sit eum vocem πόροι novisse — vertit enim illic: *foramina* — statui potest eum etiam priore loco aut *pori* aut *foramina* scripturum fuisse, si in vertendo Nemesio hujus interpretationis Bambergensis subsidio usus esset.

Licet autem tam pauca exstent apud Cononem hujus generis vitia, ut singulari quadam et subita quasi interpretis levitate excusari posse videantur, hoc saltem iis, qui unumquodque argumentum a nobis prolatum aestimare et momento suo ponderare volent, me persuasisse spero, multo pluribus artificiis in defendenda illa conjectura opus esse, quam si quis vetustam versionem Bambergensem ad Burgundionis librum redire neget.

Ac quoniam de ipso interpretationis Bambergensis auctore certiora indagari nequibant, ad alteram quaestionem transire consilium est, quae in recensendis comparandisque codicibus graecis tota versabitur. De quibus, cum Matthaeius, quae legentibus usui forent, satis accurate exposuerit,[1]) etiam nostra certior evadet argumentatio.

[1]) Ipse codices Nemesii graecos non contuli.

Inter codices graecos a Matthaeio recensitos duo sunt libro Bambergensi antiquiores. Horum alter Dresdensis est membranaceus (D_1). Atque hic quidem capita Nemesii omnia I.—XLIV. continet et cum Matthaeio saeculo XII. exaratus esse videretur, praecipuum editionis ejus fundamentum fuit. Attamen si cum libro Bambergensi comparetur, Dresdensis non solum textum permultis iisque inutilibus additamentis auctum praebet, sed etiam in singulis lectionibus interpretatione vetusta haud raro est deterior. Iam hinc igitur colligi possit antiquum illum interpretem, sive Burgundio recte nuncupatur, sive alius fuit, non hoc codice graeco usum esse. Quod certius etiam ex ejusdem codicis lacunis iis cognoscitur, quas interpretatio latina explet. Desunt enim in D_1 praeter alia, quae aut etiam in codice Bambergensi desunt aut ab interprete suo ingenio refici poterant, haec fere: 3. 17 et instant BP (καὶ ἑστάναι Matth. p. 41.), 11. 11 et hi aliorum BP (καὶ πάλιν ταῦτα τῶν ἄλλων Matth. p. 59), 21. 4 Sed si omne corpus animam habet BP (εἰ δὲ πᾶν σῶμα ψυχὴν ἔχει Matth. p. 88.), 22. 42 ipsumque convenienter habet BP (καὶ αὐτὸ ἔχει ἐπιτηδείως Matth. p. 91), 43. 19 unum quid (H) et aliud quam sunt ipsa BP (ἕν τι καὶ ἄλλο παρ' αὐτὰ Matth. p. 159.), 58. 33 et gravedinem, lenitatem BP (καὶ τὴν βαρύτητα λειότητά τε Matth. p. 197.), 59. 6 et praemeditatio BP (καὶ προαιρετικόν Matth. p. 201.).

Non minus expedita erit de codice Augustano altero (A_2) disquisitio, cujus partes vetustiores a Matthaeio aut saeculo XI. aut XII., recentiorės saeculo XVI. tribuuntur. Atque hic codex, si Matthaeii sententiam recte interpretor, olim membranaceus fuit totus totumque Nemesii librum continebat. Nunc autem pro deperditis quibusdam membranis folia chartacea locis duobus inserta sunt, ut quatuor hujus libri partes distingui debeant. Quarum prima ab initio cap. I. Τὸν ἄνθρωπον — cap. II. μὴ χρῆσθαι αὐτῷ (Matth. p. 35.—97., hujus versionis: 1. 1 A multis et prudentibus — 24. 28 uti ipso) chartacea est;

secunda a cap. II. οἷον ὄψιν ἔχοντα — cap. XXXIII. ἀλλ' οὐδὲ τοῦτο (Matth. p. 97.—278., 24. 29 sicut visum habentem — 80. 40 Sed nec hoc est, et 92. 25 Anhelitus — 100. 3 fumositates) membranacea; tertia a cap. XXXIII. διαιρεῖται γὰρ — cap. XL. ἡ προαίρεσις (Matth. p. 278.—320., 80. 40 Dividitur enim — 88. 26 est praeelectio) chartacea; quarta a cap. XL. τὸ γὰρ ἔργον — XLI. τὰ αὐτὰ παρὰ πᾶσιν (88. 26 opus namque — 91. 24 eadem in omnibus) praeterea in capitibus XLII.—XLIV., quae in codice Bambergensi desunt (Matth. p. 320.—368.), membranacea.[1]) Ex solis igitur partis secundae et quartae lacunis cognoscetur, utrum interpretatio Bambergensis a codice A_2 pendeat, necne. Desunt autem praeter alia, quae hoc loco praetereunda videntur, haec potissimum in cod. A_2: 25. 16—17 Eodem modo et anima secundum naturam mobilis, secundum naturam quiescere non potest. BP (τὸν αὐτὸν τρόπον — δύναται Matth. p. 101.), 30. 36 alii quidem proprie intellexerunt leones et lupos BP (οἱ μὲν — λέοντας Matth. p. 116.), 79. 19 nec ignorantia BP (οὔτε δὴ ἀγνοοῦντα Matth. p. 276.), 91. 5 Una namque et eadem potestas BP (μία γὰρ καὶ ἡ αὐτὴ δύναμις Matth. p. 329.), 99. 17 arteria, quae vasculum est BP (ἡ ἀρτηρία τὸ ἀγγεῖον Matth. p. 241.).

Quoniam igitur ex his antiquissimorum codicum graecorum lacunis certo cognoscitur interpretem in conficiendo opere suo codd. D_1 et A_2 non adhibuisse, necessario consequitur tertium olim exstitisse Nemesii librum a codd. D_1 et A_2 diversum, quippe cujus verba graeca ignotus interpres in sermonem latinum converterit. Atque hic codex, quem litera β notabimus, non solum coaevus fuit codicibus D_1 et A_2 aut, id quod conjectura assequimur, antiquior, sed etiam utroque libro praestantior. Vacat enim futilibus additamentis illis, quibus fides codicis Dresdensis persaepe, interdum etiam libri Augustani

[1]) Adjungitur in iisdem codicis A_2 membranis pars prior cap. XII. Gregorii Nysseni de hominis opificio; cf. Matth. p. 10. et 368.

labefactatur auctoritas, explet aliquot locis ea, quae in his codicibus librariorum incuria interciderant, cum optimis reliquorum codicum lectionibus fere semper conspirat, nonnullas vero etiam vel contra ceterorum omnium consensum unus solusque servavit.

At infringitur, dixerit quispiam, haec omnis ratiocinatio, si de aetate, cui Matthaeius codicem Augustanum primum (A_1) ascripsit, dubitetur. Hunc enim librum Matthaeius quidem saeculo XV. exaratum esse censuit. Sed cum charta bombycina constet, eique permultae lectiones cum optimis codicibus graecis atque adeo cum codice Bambergensi sint communes, praeterea vero etiam ut liber Bambergensis in fine capitis XLI. deficiat, facile a VV. DD. veniam impetrabo, si sententiam meam vel contra vanam suspicionem defendero. Afferam igitur hujus quoque codicis lacunas, quas codd. BP explent. Hae sunt: 11. 5 non — sed BP (οὐ μέχρι — ἀλλὰ Matth. p. 59.), 26. 25—27 res — numeri BP (τὰ πράγματα — ποιοῦσα Matth. p. 102—103. In cod. A_1 igitur hoc loco multo plura exciderunt, quam in BP), 26. 45 dixerit — fieri BP (ἡγοῖτο — αὐτὴν Matth. p. 105.), 38. 40 et descensiones BP (καὶ καταβάσεις Matth. p. 144.), 45. 22 aërem — feruntur BP (τὸν δὲ ἀέρα — φέρονται Matth. p. 164.), 47. 3 pati — qualitas BP (πάσχειν — ποιότης Matth. p. 168.), 47. 25 Explementum — operatio BP (τὸ δὲ ἀποτέλεσμα ἡ πρᾶξις Matth. p. 171.), 55. 16 et sic sentire BP (καὶ οὕτως αἰσθάνεσθαι Matth. p. 191.), 65. 20 congrua diaeta BP corr. H (ἁρμοζούσῃ διαίτῃ Matth. p. 220.), 75. 4 hae vero venia indignae BP corr. H (αἱ δὲ συγγνώμης ἀξιοῦνται A_3, Matth. p. 264.), 77. 9 involuntaria — involuntaria BP (οὐχ ἑκούσια — ἀκούσια Matth. p. 270.), 90. 25 sed liberum arbitrio BP (ἀλλ᾽ αὐτεξούσιον Matth. p. 326.).

Satis multa igitur deesse videmus in libro Augustano I., quae interpretatio Bambergensis suppeditat. Quam ob rem, etiamsi aetas alterutrius codicis plane esset incerta, nunquam

tamen credi posset interpretationem Bambergensem e codice Augustano I. originem duxisse. Atque idem de codice Augustano tertio (A_3) et Monacensi priore (M_1) pluribus demonstrare supersedeo. Sunt enim chartacei. Repperi autem in hoc lacunas XII, in illo XX, quas codices BP explent.

Nunc vero, postquam, quantum quidem fieri potuit, demonstravimus interpretationem Bambergensem ad codicem graecum (β) saeculi XI. vel XII. redire, hunc autem diversum quidem a codicibus A_2 et D_1 neque ex alterutro descriptum fuisse, tertium versionis editori ex his ipsis argumentis oriri video officium, ut ostendat, quo tandem loco codex β in omni Nemesii librorum prosapia habendus sit. Qua in re enucleanda inde praesertim nascitur difficultas, quod Matthaeius, in cujus fide ac labore haec omnis niti debebat inquisitio, nunquam ipse eo devenit, ut quidquam certi de codicum, quos recensuit, origine statueret.

Nec minor difficultas in eo sita est, quod Matthaeius singulis locis non omnium deinceps codicum lectiones indicavit, sed delectu quodam variae lectionis habito ita plerumque reliquas praetermisit, ut ex silentio ejus argumentari lubricum sit. Attamen ea, opinor, quae editor Halensis e codicibus suis additis librorum siglis enotavit ad imaginem omnis horum codicum cognationis adumbrandam sufficient.

Ac primum quidem lacunis potissimum codicum A_2, D_1, A_3, A_1, M_1 insistens[1]) ostendam originem horum librorum e quinque codicibus hac aetate deperditis esse repetendam. Qua in re explicanda secundum tempora, quibus Matthaeius hos codices addixit, sic fere progrediendum videtur:

1. Ex iis, quae in codice D_1 desunt, codex A_2 haec explet: 58. 33 (Matth. p. 197.) καὶ τὴν βαρύτητα (βραχύτητα A_2) λειότητά

[1]) Chartaceorum illorum codicum, in quibus paucissima quaedam Nemesii capita servata sunt (D_2 saec. XV. et M_2 saec. XVI.) rationem habere consilium non est.

τε et 59. 6 (Matth. p. 201.) καὶ προαιρετικόν. Cum autem utramque codicis D_1 lacunam non solum codex β expleverit, ut codicum BP lectionibus proditur, sed etiam codex A_3 eadem verba suppeditet, consentaneum est ea non a librario codicis A_2 temere addita, sed e vetustiore quodam exemplo in codicem A_2 translata esse. Quae cum desiderentur, ut diximus, in codice D_1, fieri non potest, ut codex A_2 e libro D_1 descriptus dicatur.

2. Ex iis vero, quae in antiquiore codicis A_2 parte desunt, liber D_1 haec exhibet: 25. 17 (Matth. p. 101.) τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ ἡ ψυχὴ κατὰ φύσιν ἀεικίνητος οὖσα (κινουμένη D_1) κατὰ φύσιν ἠρεμεῖν οὐ δύναται, 30. 36 (Matth. p. 116.) οἱ μὲν κυρίως — ὄνους, 79. 19 (Matth. p. 276.) οὔτε (δὴ) ἀγνοοῦντα. Haec autem non esse additamenta librarii D_1 inde conficitur, quod prima harum lacunarum (25. 17), quae homoeoteleuto satis explicatur (δύνανται — δύναται), partim etiam codicibus BP, alterius autem (30. 36) pars major etiam codicibus BP, A_1, A_3, Va., tertia vero (79. 19) tota iisdem codicibus BP, A_1, A_3, Va. expletur. Addo lacunas duas a Matthaeio p. 267. et 285. notatas (ἢ δι' ἐλπίδα — κακὸν et ἀλλὰ περὶ — γινομένων), quae homoeoteleutis explicantur et codici A_2 cum A_1 et BP (cf. 76. 28 et 83. 3) communes sunt. Quarum priorem codices D_1, A_3, M_1, Co., posteriorem D_1, A_3 explent. Non igitur codex D_1 e libro A_2 descriptus est.

3. Codicem A_3 quatuor codicis A_2 lacunas explere (30. 36, Matth. p. 116; 76. 28, Matth. p. 267; 79. 19, Matth. p. 276; 83. 3, Matth. p. 285) supra diximus.

Idem codex A_3 duobus locis (58. 33, Matth. p. 198 et 59. 6, Matth. p. 201) ea subministrat, quae a codice D_1 absunt.

Nonnullis locis Matthaeius etiam codicis A_1 lacunas e libro A_3 expleri posse annotavit. Quorum unus verba: 47. 3, Matth. p. 168 πάσχειν, εἰ δὲ μόνον ἓν ἦν τὸ στοιχεῖον, οὐκ ἦν ἂν ἑτέρα ποιότης complectitur, quae tamen, cum Hippocratis sint, etiam ex ipso hoc fonte peti potuisse videbuntur (cf. Hippocr. π. φυσ. ἀνθρ. tom. III. p. 102 D); alius autem 75. 4, Matth. p. 264.

invenitur, ubi pro verbis καὶ συγγνώμης ἀξιοῦνται in A_1 omissis ex A_3 suppleri potest: αἱ δὲ συγγνώμης ἀξιοῦνται. Atque eandem lacunam codices BP, D_1, A_2 varie explent, ita ut dubium non sit, quin genuina quaedam Nemesii sententia hoc loco in codice A_1 exciderit. Alia denique ejusdem rei argumenta ex iis lacunis peti possunt, quas a Matthaeio pagg. 267., 285. indicari supra dixi. Addam denique codicem A_1 in fine cap. XLI. deficere, cum in codice A_3 etiam initium cap. XLII. (usque ad μηδένα, Matth. p. 335.) legatur. Nihilo magis igitur liber A_3 e codice A_1, quam aut e D_1 aut ex A_2 fluxisse putandus est.

4. Eadem argumentandi ratione utar, ut ostendam codicem A_1 e libris A_2, D_1, A_3 non esse derivandum. Quorum primi lacunas duas (30. 36, Matth. p. 116. et 79. 19, Matth. p. 276.) e libro A_1 expleri posse jam ostendimus (ad 2.).

Codice D_1 autem librum A_1 pleniorem esse Matthaeius tribus locis indicavit: p. 94. (23. 9 hujus versionis), ubi ἀνάλογον δὲ, p. 298., ubi οὔτε ἀνάξιος, p. 307., ubi μάλιστα in codice D_1 quidem desideramus, sed lacunas ejus ex A_2 et A_1 explemus.

Denique in codice A_3 Matthaeius p. 110. (28. 37) verba tria: τὴν τῶν πάντων deesse annotat, quae ut in codicibus D_1 et A_2, sic etiam in libro A_1 leguntur.

E codicibus igitur A_2, D_1, A_3 liber A_1 describi non potuit.

5. Librum M_1 vero e codicibus A_2, D_1, A_3, A_1 non fluxisse his lacunarum exemplis demonstrabimus: Desunt in D_1 verba: ἀνάλογον δὲ (Matth. p. 94., 23. 9), in A_2: περὶ μὲν οὖν (Matth. p. 66., 14. 35) in A_2 et A_1: ἢ δι' ἐλπίδα μείζονος κακοῦ καταδέξηταί τις τὸ ἔλαττον κακὸν (Matth. p. 267., 76. 28) et ἀνασχετέον ἢ (Matth. p. 290.), in A_3: οὐκοῦν ἀστέρων κινήσεις καὶ οὐρανὸς καὶ ὧραι καὶ ὄμβροι καὶ πάντα τὰ τοιαῦτα διὰ ταῦτα γέγονεν (Matth. p. 60., 11. 15—16), quae aut integra omnia aut magnam saltem eorum partem codex M_1 sic suppeditat, ut lectiones ex eo prolatae unoquoque loco unius saltem antiquioris codicis auctoritate defendi possint.

Atque haec hactenus. Alia enim argumenta, quibus in indagando codicum Nemesianorum stemmate egemus, diversus capitum ordo subministrabit. Atque in D1 quidem capita I.—XXI. perverso hoc ac plane singulari ordine sequuntur: I.—VI., XII.—XIII., VII.—XI., XIV.—XIX., XXI., XX.[1]) Longissime igitur hic codex, ut in singulis lectionibus, sic etiam in omni libri Nemesiani dispositione a reliquis codicibus discedit. Capita enim I.—XIX. non solum in BP, sed etiam in A1,2,3, M1 eodem ordine disposita leguntur, quem editio Matthaeii exhibet. Restat autem, ut de capitibus XX., XXI. dicamus. Atque haec quidem eodem ordine, quem D1 exhibet (XXI., XX.) etiam in codd. BP, A3, M1 et apud Cononem et Vallam scripta reperiuntur, in codicibus autem A2, A1 caput vicesimum vicesimo primo excipitur (XX., XXI.). Qua ex re ne quis duas Nemesii codicum familias discerni posse confidat, quarum altera codices A2, A1, altera reliquos codices omnes (BP, D1, A3, M1, Co., Va.) complectatur, eo cautum est, quod codicem D1 a reliquis longissime distare diximus. Explicatur autem mirus iste diversissimorum librorum in hac una re consensus eo, quod jam codex archetypus (α) eodem vitio laborabat, quo nunc codices BP, D1, A3, M1, Co., Va. pessumdatos videmus. In eo autem libro, unde codices A2, A1 deducti sunt, genuinus capitum ordo librarii ingenio partim restitutus est. Quam sententiam ne quis obscuram esse queratur, ipsis Nemesii verbis illustrabo.

In capite XVII. Nemesius sic fere proximam disputandi materiam disponit: Διαιρεῖται . . . τὸ ἄλογον τῆς ψυχῆς τὸ ἐπιπειθὲς λόγῳ εἰς δύο, τό τε ἐπιθυμητικὸν καὶ τὸ θυμικόν· πάλιν δὲ τὸ ἐπιθυμητικὸν διαιρεῖται εἰς δύο, εἰς ἡδονὰς καὶ λύπας. Hanc argumenti partitionem si Nemesius sequi voluisset, primum universe egisset περὶ τοῦ ἐπιθυμητικοῦ, tum singulatim περὶ ἡδονῶν

[1]) Capitum indices, ut semper, e Matthaeii editione deprompsi.

et περὶ λυπῶν, denique περὶ τοῦ θυμικοῦ. Non autem, quae περὶ λυπῶν disputari poterant, uno eodemque capite absolvit, sed hanc materiam sic distribuit, ut περὶ λύπης et περὶ φόβου seorsum ageret.

Qua ex re elucet philosophum in exponenda disciplinae suae materia non hanc priorem, sed alteram illam partitionem spectavisse, quam eodem etiam capite XVII. proposuit: τινὲς τὸ πάθος εἰς τέσσαρα διαιροῦσιν, ἐπιθυμίαν, ἡδονήν, φόβον καὶ λύπην. Quodsi haec fuit causa, quae Nemesium movebat, ut de cupiditate, de voluptatibus, de metu, de aegritudine diversis capitibus dissereret, cogimur, opinor, ut eum hunc sermonis cursum, quem sollerter instituerat, accurate tenuisse dicamus. Unde conficitur, ut hic verus capitum illorum ordo statui debeat: XVII., XVIII., XX., XIX., XXI., quem codex nullus, nulla virorum doctorum editio repraesentat. Atque hic est capitum ordo, quem jam in codice archetypo (α) interiisse supra contendi. In eo enim libro, si ullam auctoritatem codicum BP, D1, A3, M1, Co., Va. consensui tribuimus, hic fuit eorundem capitum ordo: XVII., XVIII., XIX., XXI., XX., quem in plerisque codicibus propagatum fuisse videmus. Unus autem librarius ille, qui errorem codicis archetypi sensit, caput (XX.) περὶ φόβου ante caput (XXI.) περὶ θυμοῦ collocare satis habuit, cum ante caput (XIX.) περὶ λύπης rejici deberet. Atque ex archetypi (α) apographo (γ) ab hoc librario exarato codices A2, A1 originem duxerunt.

Ac nunc demum, quoniam fundamenta jacta sunt, facile erit aedificare. Paucis igitur ea, quae de singulis codicibus jam demonstrata sunt, et quae inde consequuntur, definiam.

1. Codex A2 non ex ipso communi librorum archetypo α, sed e deperdito codice γ descriptus est, cujus librarius perversum capitum ordinem, quem jam α exhibuerat, corrigere studebat.


2. Codici A1 permultae lacunae cum codice A2 communes sunt; praeterea eodem capitum XX. et XXI. ordine excellit,

quo A_2. Cum autem non ex ipso codice A_2 descriptus sit, e proximo ejus archetypo γ per alium codicem deperditum ε originem duxit. Nam quominus codices A_2 et A_1 ex eodem exemplo descriptos esse putemus, et aetatis discrimen lectionumque diversitas prohibet.

3. Codex D_1 ex archetypo α alio ramo atque A_2 descendit. Neque tamen ex ipso codice α descriptus est. Nam quamquam huic inutilia quaedam additamenta cum A_2 communia sunt, alia tamen permulta solus exhibet. Haec autem non in margine codicis α, sed in apographo quodam ejus (δ) ascripta fuisse ideo verisimile est, quia non minus quam alia illa in codice A_2 propagata essent, si jam a librario codicis γ legi potuissent. Praeterea ex ipsa singularum lectionum diversitate intelligitur codices A_2 et D_1 ex uno eodemque exemplari α describi non potuisse. Necessario igitur codicum stemmati libri γ et δ inseruntur.

4. Codex Pragensis (P) e Bambergensi (B) descriptus est, Bambergensis autem e graeco aliquo codice β fluxit. Cum autem codex Bambergensis multis jam vitiis laboret, non ex ipso interpretis autographo (b), sed ex apographo ejus (b_1) descriptus est. Codex β autem, cujus causa omnem hanc quaestionem instituimus, neque ex A_2 aut codice γ, neque ex D_1 aut codice δ descendit. Capita enim XXI. et XX. eo ordine disposita exhibuit, quo librorum omnium archetypus, et plerisque additamentis illis caret, quibus librarius δ apographum suum oneravisse videtur. Tam prope igitur codex β ab archetypo α abest, quam codices γ et δ, totoque fortasse saeculo codices A_2 et D_1 praecedit. Tertius igitur hic est totius stemmatis ramus, qui ex eodem archetypo deducitur. Cum autem codex D_1 a reliquis, qui aetatem tulerunt, codicibus remotissimus sit, et codicis Bambergensis lectiones multo magis ad textum codicum A_2 et A_1, quam ad librum Dresdensem accedant, medium hic ramus in toto stemmate locum tenebit.

5. Codices A_3 et M_1 in singulis lectionibus multo artiorem cum codicibus β, A_2, A_1 cognationem produnt, quam cum codice D_1, cujus additamentis eadem fere ratione, qua libri reliqui, vacant. Non igitur librorum A_3 et M_1 origo e codicibus D_1 aut δ poterit deduci. Prohibet vero etiam capitum ordo ille, quo libri A_2, A_1 a reliquis discedunt, quominus libri A_3, M_1 prosapiae codicis γ ascribantur. Medio igitur totius familiae ramo hi libri e codice β descenderunt, cujus imaginem temporum injuria maculatam longoque saeculorum tractu pallentem repraesentant. Quos codices recentes cum ex ipso codice β descriptos fuisse credibile non sit, una saltem litera κ a litera β in stemmate separare non dubitavi. Utrum autem uterque codex A_3, M_1 e libro κ pari ratione pendeat, an M_1, qui duobus circiter saeculis libro A_3 recentior esse fertur neque ex ipso descriptus est, a communi horum librorum fonte κ remotior sit, vix poterit e Matthaeii apparatu dijudicari. Ac me quidem lacunae quaedam, quae codici M_1 propriae sunt, commoverunt, ut in tanto praesertim codicum A_3, M_1 aetatis discrimine literam μ inter stemmatis literas κ et M_1 inserendum esse putarem. Quae cum ita sint, haec fere est totius codicum Nemesianorum originis imago:



Hoc stemmate composito, ex quo intelligitur, quo loco codex ille β habendus sit, ad quem libri BP redeunt, necessarium videtur, ut etiam de ratione, qua hanc editionem instituerim nonnulla persequar. Qua hoc potissimum efficere studui, ut versionem vetustam exstirpatis librariorum mendiś quam possem nitidissime accuratissimeque repraesentarem. Ipsius autem interpretis errores, quamvis facile fuerit, non correxi, ne reficiendus magis labor ejus, quam typis mandandus videretur.[1]) Quam ob rem cum necessario futurum esse perspexissem, ut ii, qui hanc versionem legere vellent, interpretis verba intelligere nequirent, graeca ipsius Nemesii verba in calce, quasi latinorum interpretamenta, haud raro addenda putavi. Aliis autem locis graeca aliis de causis addi debebant, praecipue ut, quantopere haec versio cum ipsis Nemesii verbis concineret aut ab iis discreparet, sine mora aut haesitatione judicaretur. Atque hac ipsa in re ratio triplex sequenda fuit. Aut enim codicum graecorum consensum omissis librorum siglis enotavi, aut Matthaeii textum addito ejus nomine exscripsi, aut denique singulas variorum codicum lectiones versioni latinae apposui. Inter quos, ut par erat, maxime codicis D_1 et antiquae partis codicis A_2 rationem habui, ne levioribus scripturis e recentioribus codicibus allatis commentarium criticum plus aequo extenderem. Lemmata autem, quibus hae notulae omnes distinguuntur, cum edito versionis textu ubique locorum conspirant. Quibus literas B aut P addidi, ubicumque alterutrius codicis auctoritatem sequebar; literae BP conjunctae horum codicum consensum indicant; litera H librariorum errores vel levissima in re a memet ipso correctos esse significavi,

[1]) Ut unum saltem exemplum proponam, afferam lectionem „estu" ab utroque codice BP pro graeco αἰθάλης traditam. Qua in sententia non „fuligine" posui, sed explicato interpretis errore literam unam mutare satis habui. Cf. ad 92. 38 notata.

nisi quod mutationes orthographicas permultas silentio praetereundas putabam.[1])

De his enim hoc loco conjunctim agere satius est, praesertim cum codices BP in rebus orthographicis ab aliis ejusdem aetatis libris non differant. Collectis igitur ex alterutro codice scripturarum speciminibus facile intelligetur, cujus generis errores in textu tacite mutaverim. Ac Pragensis quidem librarii consuetudines ex his fere codicis P lectionibus cognoscuntur:

e ponitur pro ae et oe: 73. 24 fedemur, 98. 44 feculentum, 61. 9 cepit (pro: coepit), 63. 2 hobedit, 63. 20 egritudines, 78. 40 cecavit, 19. 1, 20. 43 que (pro: quae), 63. 19 equivoce, 8. 40 penitet, 67. 2 penitentia, 8. 44 demones, 9. 17 inherent, 9. 21 longeva, 13. 9 illesi, 23. 1 sepe, 28. 25 mechis, 46. 37 celum, 46. 25 ethereum, 5. 10 Hebrei, 59, 8 hebreos, 90. 25 malicie, 76. 38 ethyopum.

y ponitur pro i: 12. 25 ymagine, 31. 24 ymaginem, 24. 30 ymaginatur, 14. 40 stoycorum, 14. 42 yppon (pro: Hippo), 18. 28 analogyam, 32. 44 symia, 76, 38 ethyopum, 44. 35 pyramoydes, 45. 23 Stoyci, 46. 46 ypocratis, 47. 13 yparcus, 50. 41 ydola, 97. 2 alantoydes, 50. 41 Epycurei, 62. 42 phylosophus, 19. 16 dynarchus (15. 4 Denarcus), 49. 17 ygemonicon (pro: hegemonicon), 75. 17 hyme (pro: hieme).

i ponitur pro y: 17. 22 silogismum, 22. 45 lire, 19. 18 liram, 9. 20 nimphas, 3. 21 zoofita, 74. 35 spondilius, 94. 39 stipticus, 58. 29 dactilis, 76. 42 martiriis, 51. 16 Porfirius, 46. 37 abisso, 46. 38 abissi (46. 40 abyssum, 46. 42 abyssi), 75. 24 dionisio, 61. 5 sintomata, 62. 44 phisicis (62. 48 physicis), 72. 34 tuchidides.

c ponitur pro t: 63. 22 affliccio (sed: 70. 35 afflictionis), 47. 25 accio, 11. 21 servicium, 14. 44 tocius, 15, 12 senten-

---

[1]) Ubicumque lemmata siglis B, P, H carent, non solum cum textu, sed etiam cum codicum BP lectionibus consentiunt, sed ita plerumque, ut minutiarum quarundam orthographicarum rationem non habuerim.

ciis, 8. 26 disposicio, 23. 5 terciam, 31. 15 ociosam, 31. 23 astuciam, 71. 2 ebullicio, 63. 9 inicium, 65. 21 exerciciis, 67. 23 sicientes, 74. 41 noticia, 71. 14 pigriciam, 56. 33 duricia, 43. 7 molliciem.

t pro c: 24. 31 inditium, 75. 5 inditia (75. 8 indicia), 87. 15 perspicatiores, 87. 16 ratiotinationes, 75. 22 proitiunt.

g ponitur pro c: 70. 26 pragtica.

f pro ph: 72. 33 diaffragmate, 92. 30 diafragma, 43. 22 farmacho, 43. 23 tetrafarmacum, 60. 38 parente falida (pro: parencephalida), 61. 6 frenesi, freneticorum, 51. 16 Porfirius, 11. 1 sarcofagis, 11. 3 fasianos, 59. 1 fantastica, 17. 2 flegma.

h deest: 30. 27 ellines (pro: Hellenes), 92. 30 epar, 39. 1 omiomiri (pro: homoeomeri), 30. 40 Iamblicus, 38. 45 colera, 47. 9 tales (pro: Thales), 92. 25 toracem, 52. 44 exagonas, 62. 36 cordarum, 99. 22 armoniam, 76. 25 enaxarcus, 74. 35 spondilius (pro: sphondylus), 46. 46 ypocratis, 47. 13 yparcus (50. 31 Hyparcus), 14. 44 Eraclitus, 15. 1 Pytagoras, 7. 17 cocleas, 21. 13 aplis (pro: haplis = ἁπλοῖς).

h abundat: 95. 23 prohicimus, 42. 46 perhenniter, 43. 22 farmacho, 71. 8 cothos, 81. 22 ethymologia, 78. 25 inhebriaretur, 72. 34 tuchidides, 58. 44 hodorum, 58. 38 hodoratus, 63. 2 hobedit (63. 10 obediens), 10. 42 honerare, 75. 22 honera, 58. 27 habundaverit, 13. 18 habundantes, 7. 19 superhabundante (58. 30 superabundat), 14. 43 athomis.

h transpositum est: 70. 27 tehorica (pro: theoretica), 78. 36 rethoricis, 93. 11 anehlitus, 7. 7 anehlantes, 40. 29 hanelant, 17. 19 hanehlans (17. 19 anhelat, 17. 15 anhelare).

ch pro h positum est: 38. 34 nichil, 46. 44 nichilo.

nt ponitur pro mpt: 61. 5 sintomata.

mpt ponitur: 31. 16 temptant, 76. 43 temptatione.

mpn ponitur: 5. 15 dampnaret, 29. 3 dampnari, 35. 9 sompno, 35. 10, 59. 7 sompnis, 92. 31 columpnarum (cf. ad 92. 31 notata).

sc ponitur pro x: 16. 40, 25. 23 Scenocrates.

s omittitur: 61. 8 exurgens, 43. 1 extinctus, 43. 2 extinctio.

s abundat: 88. 29 mixstio.

duplicantur consonantes: 23. 11 occulus (23. 10 et 12 oculus), 50. 31, 34. 35 occulis, 52. 36 neccessario, 57. 23 peccorinam, 21. 16 peccoris, 7. 15 peccoribus, 58. 29 ficcu, 17. 20 refferuntur, 26. 46 reffert, 95. 4 reffrigeratur, 85. 4 aufferret, 49. 16 diffiniunt, 64. 26 diffinitio, 72. 33 diaffragmate (92. 30 diafragma), 18. 40 cocodrillus, 58. 35 cartillaginosum, 58. 36 cartillago, 20. 48 crassis (pro: crasis), 43. 14 dupplicem, 1. 10 appollinaris, 13. 18 ennarrare, 76. 25 inennarranda, 61. 18 comittantibus.

Consonans simplex ponitur pro duplicata: 17. 22 silogismum, 18. 48 silogismos, 14. 42 inflamantem, 36. 25 difusa, 78. 28 sagitans, 50. 48 dimititur, 74. 28 dimituntur, 88. 26 permititur, 26. 45 immititur, 95. 8 aproximantibus, 27. 22 apolenario, 86. 36 apollinem, 46. 46 ypocratis, 47. 13 yparcus, 98. 35 atrahunt.

Litera initialis major in nominibus propriis negligitur: 76. 38 ethyopum, 46. 46 ypocratis, 47. 13 yparcus, 15. 10 manichei, 17. 20 cloanti, 17. 20 crysippi, 17. 22 platonici, 19. 18 socrates, 19. 18 phedone platonis, 46. 39 iob, 86. 35 dianam, 86. 36 apollinem.

Ex his autem orthographiae codicis Pragensis speciminibus id quoque cognoscitur, quam parum librarius sibi ipsi constet. Atque hoc praesertim de vocabulorum compositorum commissuris valet, in quibus idem librarius consonantium stridores compositione concurrentium modo tollit assimilatione, modo dissimillimas patitur collidi.[1])

[1]) Cf. 13. 9 illesi, 2. 36 irrationabilibus, 96. 29 inbibunt, 19. 12 inpossibile, 81. 3 impossibilibus, 5. 2 inmortalis, 70. 35 Afflictionis, 6. 45 apponi, 21. 19 assit, 50. 41 attendere, 91. 15 acquirere, 86. 25 adquisita, 50. 39 adtendentes, 32. 33 adsunt, 20. 29 obpugnat, 20. 28 optinet, 73. 5 conexiones, 93. 9 connexiones, 96. 39 cofuderint, 9. 1 collidunt.

Easdem plane scribendi leges — si quidem legum nomine in tanta licentia uti licet — etiam codicis Bambergensis librarius secutus erat; nec minor in tanta consuetudinum similitudine ejus inconstantia fuit. Facile igitur excusatur librarius Pragensis, si quando in his minutulis rebus ab exemplaris sui textu discedit.[1]) Quam anxie autem librarii Bambergensis vestigia premere soleat, inde facillime cognoscitur, quod aliis locis errores ejus imitatur, aliis eodem modo quo ille solitum suum scribendi morem repente commutat.[2])

In verborum autem locutionumque indice conficiendo id maxime tenebam interpretem graeca pleraque verbo tenus in sermonem latinum transtulisse. Qua ratione atque indole totius versionis — id quod supra pag. XVIII efficere studebam — exposita, operae pretium me non facturum esse videbam, si sescentarum illarum constructionum graecarum mole indicis columnas replevissem. Exceptis igitur quibusdam pessimarum ac fere incredibilium harum structurarum speciminibus, eae solae in indicem congestae ibique tamquam in propatulo positae sunt, quae ipsius interpretis sermoni propriae fuisse videri poterant. Singula autem vocabula singularesque quasdam vocabulorum formas, quibus interpretis aut linguae graecae ignorantia aut dubius latini sermonis color judicari posset, quam potui religiosissime collegi.

Reliquum est, ut ei viro gratias agam, qui de hoc opere optime meritus est, HERMANNO USENER. Is enim non solum e schedulis quibusdam ei commissis, in quibus codicem Pragensem rogatus breviter descripseram, prior Nemesium latinum tituloque carentem agnovit, sed etiam, postquam idem Nemesii liber in codice Bambergensi detectus est, de re mira

1) Cf. 1. 10 apollinaris B, appollinaris P, 59. 8 pitagorici B, pytagorici P, 62. 48 phisicis B, physicis P.

2) Cf. 27. 22 apolenario BP, 62. 44 phisicis BP, 50. 39 adtendentes BP, 50. 41 attendere BP.

illico me certiorem fecit et per epistolas identidem missas hortabatur, ut ignotae adhuc versioni vetustae operam navarem.

Suscepto autem, postquam virtutes hujus versionis penitus cognitas habebam, editionis parandae labore nihil adeo me juvit, quam quod supplicanti mihi CAES. REG. MINISTERII liberalitate concessum est, ut a majore munerum academicorum parte per menses duos vacarem.

Operarum errores Julius Jüthner, sem. phil. Prag. sod., mecum correxit.

Scribebam Pragae auctumno a. MDCCCLXXXVI.

CAROLUS HOLZINGER.

NEMESII EMESENI

LIBRI

ΠΕΡΙ ΦΥΣΕΩΣ ΑΝΘΡΩΠΟΥ

VERSIO LATINA.

Cap. I.

1 A multis et prudentibus | viris confirmatum est hominem 1, 2
ex anima intelligibili et | corpore tam bene compositum, ut 3
nequaquam oportuerit eum aliter fieri vel consistere. | Sed ex 4
eo quod intelligibilem habere dicitur animam dubitationem ha-
bent, | utrum superveniens intellectus animae ut alius aliam 5
intelligibi|lem fecerit, an intellectum anima a se ipsa natura- 6
liter possederit, | ut hic sit ejus optima pars, ut oculus corpo- 7
ris. Sed quidam, quorum est | Plotinus, aliam esse animam et 8
alium intellectum docentes ex tribus | hominem constare volunt 9
corpore sive anima et intellectu, quos imi|tatus est Apollinaris 10
Laodicensis episcopus. Hoc namque fundamen|tum firmans pro- 11
priae sententiae et reliqua superaedificavit secundum doctri-
nam | propriam. Quidam vero non separant ab anima intellec- 12
tum, sed suae essentiae | principalem esse illum asseverant. 13

A multis BP] Desunt nomen scriptoris et libri titulus. 3 tam bene] ἄριστα . . καὶ οὕτω καλῶς. compositum] κατεσκευάσθαι Matth.; κατεσκευασμένον D1. oportuerit] ἐνεδέχετο D1 ex corr. m. pr. vel BP] καὶ D1. 4 ex eo] τοῦ Elleb. Matth.; ἐκ τοῦ D1. dubitationem habent] ἀμφιβολίαν ἔχοντος Elleb. Matth.; ἀμφιβολίαν ἔσχον D1. 6 naturaliter] καὶ φύσει. 7 ejus optima pars B] optima pars ejus P. ut BP] καὶ. corporis] ἐν σώματι. est] ἐστι καὶ. 9 sive BP] καὶ. Interpres igitur hoc quoque loco, ut saepe, ἢ et καὶ confudit. 10 Laodicensis H] laodocensis B, laodicensis P, ὁ τῆς Λαοδικείας γενόμενος. 12 separant] διέστειλαν. 13 illum] τὸ νοερὸν.

Aristoteles autem potestate quidem in|tellectum complasmatum 14
esse homini refert, actu vero nobis extrinse|cus contingere pro- 15
bat non essentiam hominis supplentem, sed superve|nientem ad 16
profectum notitiae et contemplationis naturalium. Val|de ergo 17
paucos homines et solos philosophantes actu intellectum | ha- 18
bere confirmat. Plato autem inquit hominem non esse utrum-
que, animam et | corpus, sed animam tali corpore utentem, 19
melius contemplatus, quae sunt | circa hominem et inde nos 20
convertit ad animae solius divinitatem | et studium, ut animam 21
nos ipsos esse credentes animae bona sola dili|gamus atque 22
sequamur, virtutes quidem et beatitudinem et non cor|poris 23
desideria amemus, tamquam de non existentia hominis, sed
animalis | quidem principaliter, hominis vero cônsequenter, quo- 24
2 niam et animal est homo. Sed et aliter ‖ digniorem corpore ani- 25
mam esse cunctis hominibus manifestum est. Ab | hac nam- 26
que movetur corpus instar instrumenti, quod mors demonstrat.
Se|parata namque anima immobile remanet corpus omnino abs- 27
que opere, ut se|moto artifice immobilia remanent instru- 28
menta. Manifes|tum est autem, quia et inanimatis communicat 29
et irrationabilium animalium par|ticipat vita et rationabilium 30
notitia communicat. Communicat namque inani|matis per cor- 31
pus et per iv elementorum temperantiam. Plantis vero et per
hoc | et per nutribile et generativam vitam seu virtutem, 32

15 essentiam] τὸ εἶναι καὶ τὴν ὕπαρξιν. 17 homines] τῶν ἀνθρώπων. 18 Plato autem inquit B] Plato inquit P, Πλάτων δὲ οὐ δοκεῖ λέγειν D1. 21 diligamus atque sequamur] μεταδιώκωμεν D1, διώκωμεν Elleb. 23 de non existentia hominis] οὐκ οὔσας ἀνθρώπου ἢ (sic) ἄνθρωπος D1. Interpres intellexit: οὐσίας. 24 Sed et aliter] καὶ ἄλλως δὲ Elleb., Matth., καὶ ἄλλω δὲ D1. 25 Ab P corr. ex: Au] Au B. 26 instar instrumenti H] instrumenti BP, ὡς ὄργανον. quod mors demonstrat] δηλοῖ δὲ ὁ θάνατος. In marg. cod. D1 haec a manu recentiore addita sunt. 29 irrationabilium animalium] τῶν ἀλόγων ζώων D1, τῶν ἀλόγων Elleb. 31 hoc] ταῦτα.
32 vitam seu virtutem] δύναμιν. „Vitam“ fortasse librarius scripsit pro „vim“.

irrationabilibus autem et in | his quidem secundum moderatio- 33
nem et per motum ad placitum et per appetitum et | furorem 34
et per sensibilem atque flatilem virtutem. Haec etenim omnia
communia sunt | hominibus et irrationabilibus, licet non om- 35
nibus omnia. Conjungitur autem per rationabilita|tem quidem 36
incorporeis et intellectualibus naturis ratiocinans et dignoscens
ac | dijudicans singula et virtutem sequens virtutumque sum- 37
mitatem concupi|scens beatitudinem scilicet. Ideoque tamquam 38
in medio est intellectualis | atque sensibilis essentiae. Conjunc- 39
tus quidem per corpus corporalesque virtutes | animalibus aliis 40
et inanimatis, per rationalem vero et incorporeis substantiis, ut
praedictum est. | Creator etenim per gradum et per modicum con- 41
junxit adinvicem diversas na|turas, ut unam esse uniusque gene- 42
ris omnem creaturam constaret. Unde maxi|me patet unum esse 43
omnium existentium creatorem. Non enim solum univit | essen- 44
tiam indivisibilium secundum partem, sed et singula adinvi-
cem conjunxit | proprie; quemadmodum namque in unoquoque 45
animalium univit insensibilia sensibilibus, | ossa, anxugiam at- 46
que pilos aliaque insensibilia sensibilibus nervis | et fecit ex 47
insensibilibus et sensibilibus compositum animal et non solum
3 compo‖situm, sed et unum existens ostendit. Eodem quoque 1

---

33 secundum moderationem et per motum] ἐξ ἐπιμέτρου δέ · κατά τε κτλ. D_1. 37 virtutem] τὰς ἀρετὰς. 39 quidem per] κατὰ μὲν D_1. 40 per rationalem vero BP] κατὰ δὲ τὸ λογικὸν. Malim igitur: „per rationale“. et incorporeis substantiis H] et in corporis substantiis B, et in substantiis corporis P, ταῖς ἀσωμάτοις οὐσίαις. 41 etenim per gradum H] etenim gradum BP, ἐκ τοῦ κατ᾽ ὀλίγον. conjunxit] ἔοικεν ἐπισυνάπτειν. 42 esse . . constaret] εἶναι. uniusque P] unius cujusque B. 46 anxugiam H] anxuiam B, anxuiam P superscripta semel litera u. Aliis locis BP „anxugiam“ praebent. aliaque insensibilia B] atque insensibilia P, καὶ τὰ ἄλλα τὰ ἀναίσθητα Matth. Desunt in D_1. nervis] νεύροις καὶ σαρξὶ καὶ τοῖς ὁμοίοις. Desunt in D_1: καὶ — ὁμοίοις. 1 fecit B] fecit P corr. ex: facit. in alia B] in alia P ambigue correctum ex: in animalia

modo fecit et in alia secundum | suam speciem creatura con- 2
jungens adinvicem gradatim proprietate et immuta|tione natu- 3
rae, ut non multum distarent omnia a plantis habentibus nu-
tribi|lem virtutem, neque haec ab irrationabilibus et sensibili- 4
bus animalibus nec irrationabi|lia a rationabilibus alienarentur 5
omnino et inconvenientia et sine quolibet essent | naturali et 6
colligenti. Differt et lapis a lapide virtute qualibet. Lapis mag-|
netes praecellere videtur aliorum lapidum naturam ac virtutem 7
in hoc, quod ma|nifeste trahit ad se atque continet ferrum, 8
tamquam sibi facere escam vo|lens et non solum in uno hoc 9
efficit, sed et aliud per aliud continet dan|do cunctis habitis 10
suam virtutem. Continet igitur et ferrum ferrum, quando a mag-|
nete fuerit habitum. Tum iterum consequenter a plantis ad 11
animalia proce|dens non confestim ad mobilem et sensibilem 12
pervenit naturam, sed grada|tim ad hanc et modice studiose 13
pervenit. Pinnas namque et eri|cios marinos velut sensibiles 14
plantas fecit. Radicavit namque | in mari quasi plantas et ve- 15
lut ligna apposuit ostraca et sta|re fecit ut plantas et sensum 16

---

2 suam BP] addidit interpres. adinvicem] ἄλληλα D1. immutatione H] imitatione BP. 3 omnia BP] τὰ πάντη ἄψυχα. Habetur autem πάντα in M1. Malim: „omnino inanimata“. 4 haec ab irrationabilibus H] hoc a rationabilibus BP, αὖ ταῦτα τῶν ἀλόγων. 5 naturali et colligenti] δεσμοῦ . . συμφυοῦς καὶ φυσικοῦ. 6 Differt et lapis] διαλλάττει μὲν γὰρ καὶ λίθος D1. Lapis magnetes] ἀλλ' ἡ μαγνῆτις λίθος D1. 9 et non solum . . continet] Haec a prioribus pendent, ubi legitur: „in hoc quod . . . .“ Non igitur ποιεῖν et κατέχειν mutanda in ποιεῖ et κατέχει. in uno] ἐφ' ἑνὸς σιδήρου. 10 suam virtutem] τῆς δυνάμεως αὐτῆς D1 pro: τ. δ. ἑαυτῆς. ferrum ferrum H] ὁ σίδηρος σίδηρον. Alteram vocem „ferrum“ om. BP. 11 Tum H] Sic BP. Fortasse autem interpres vocem εἶτα legens „ita“ significari putabat. 13 gradatim . . . et modice] ἐκ τοῦ κατ' ὀλίγον. ericios marinos] τὰς ἀκαλύφας. Urticas dicit marinas. 15 namque in mari H] namque quod in mari BP. „Quod“ fortasse ex „quidem“ ortum est. ostraca H] ostenta BP, τὰ ὄστρακα. 16 ut plantas] ὡς φυτά D1, ὥσπερ φυτά Elleb. Matth.

eis dedit tangibilem omnium quidem | animalium sensum com- 17
munem, ut communicent plantis, quia radicantur et in|stant, 18
animalibus vero, quia tactum possident. Spongiam igitur et
quae in petris in|nascuntur et extendi et attrahi, cum sense- 19
rint advenire aliquem, Aristoteles | narrat. Ideoque haec omnia 20
antiqui philosophorum consuerunt vocare | zoophyta. Iterumque 21
pinnis et aliis hujusmodi proximavit mobilium anima|lium ge- 22
nus, sed longius ire non valentium, circa vero locum eundem se
mo|ventium, qualia sunt plurima eorum, quae dicuntur ostra- 23
codermata et vermes ter|reni. Deinde paulatim apponens aliis 24
4 quidem plus sensibilitatis, aliis vero ‖ plus mobilitatis ad per- 25
fectiora pervenit irrationabilium animalium. Di|co autem per- 26
fectiora omnes sensus habentia longiusque valentia ire iterum-
que promovens | ab irrationabilibus ad rationale animal, homi- 27
nem, neque hoc repente condidit, sed prius aliis | animalibus 28
naturales quasdam notitias et ingenia astutiasque ad | salva- 29
tionem indidit, ut propinqua rationabilibus ipsa apparerent et
sic cre|avit hominem, verum rationale animal. Hoc etiam modo 30

---

17 et instant] καὶ ἑστάναι deest in D1. 18 quia tactum possident] κατὰ τὴν ἁφήν. Post haec legitur in D1: καὶ τὸ αἰσθάνεσθαι. et quae in petris innascuntur BP] καίτοι προσπεφυκότα ταῖς πέτραις. Interpres autem intellexit: καὶ τὰ προσπεφυκότα κτλ. 19 cum senserint B in marg. a m. pr.] consuerunt B in textu, consueuerunt P superscripta syllaba: eu. Spongiam — aliquem] Verba corruptissima sensu omnino carent. Desunt haec: ἀνοίγεσθαι ἢ μᾶλλον . . . (καὶ ἀμύνεσθαι) . . ὅταν . . αἴσθηται. D1 habet: συστέλλεσθαι καὶ ἀμύνεσθαι. 20 narrat] ἱστόρησε. 21 pinnis et aliis H] pinnis aliis BP, πίνναις καὶ τοῖς τ. 23 vermes H] vermi BP. quae — terreni] τῶν ὀστρακοδέρμων καὶ τὰ καλούμενα γῆς ἔντερα. 24 Deinde] εἶθ' οὕτω D1. aliis quidem H] aliis quae BP, τοῖς μὲν. 25 plus mobilitatis] τὸ μεταβατικὸν ἐπιπλεῖστον. 26 habentia H] habenti BP, ἔχοντα. valentia ire iterumque H] valentia iterumque BP, προϊέναι μακρὰν κτλ. promovens] μεταβαίνων. 28 aliis animalibus B] animalibus aliis P, καὶ τοῖς ἄλλοις ζώοις. ingenia] μηχανὰς. 29 creavit] προεβάλετο. 30 verum rationale animal] τὸ ἀληθῶς

et in voce quaerens invenies | ex simplici et uniformi equorum 31
et boum exclamationem. Paulatim | vero variam diversamque 32
corvorum et modulantium avium voces, donec | ad articulatam 33
et perfectam hominis devenies, sicque articulatam adhi|buit lo- 34
cutionem notitiae et rationi, nuntiam eam faciens motionum
in|tellectus et sic omnibus omnia concordanter coaptavit colli- 35
gavitque in unumque | conduxit visibilia et invisibilia genere ho- 36
minum mediante. Ideoque bene | Moyses creationem exponens 37
postremo narrat hominem factum, non so|lum quod omnibus 38
propter eum conditis necesse esset prius creari usui ejus ha-
benda et | sic ipsum utentem apponi, sed quia invisibilis es- 39
sentiae atque visibilis | quiddam oportuit fieri utriusque colli- 40
gamentum, ut unum essent omnia et adinvi|cem compatientia, 41
nec a se ipsis aliena. Factum est igitur utrasque colligans |
naturas animal, homo. Ad enarrandum igitur breviter sapien- 42
tiam creatoris haec sa|tis sint, quod in medio irrationabilis ra- 43
tionabilisque naturae homo positus, siquid corpori | inflectetur 44
magisque corporea dilexerit concupieritque vitam irrationabi-
lium, | his quidem connumerabitur terrenusque vocabitur iux- 45
ta Paulum et audiet: | terra es et in terram reverteris et com- 46

λογικὸν ζῶον D1. in voce quaerens] ἐπὶ τῆς φωνῆς κατὰ μέρος ζητῶν D1. 31 uniformi] ὁμοειδοῦς D1 pro: μονοειδοῦς. exclamationem. Paulatim vero variam diversamque BP] Nihil mutavi. Non enim librarii hi sunt errores, sed interpretis, qui ἐξ ἁπλῆς . . . ἐκφωνήσεως male conjunxit cum εὑρήσεις et hanc ob causam post ἐκφωνήσεως distinxit et παραχθεῖσαν omisit. 33 devenies] κατέληξε. sicque] πάλιν τε. adhibuit] ἐξῆψε. 36 invisibilia] νοητὰ. 37 narrat] ἔφησε. 38 quod H] quidem BP. conditis] γινομένων D1. 39 utentem] χρησόμενον. 40 quiddam] τινὰ. Malim „quoddam“. Attamen καὶ, quod post τινὰ legitur, ipse interpres videtur omisisse. omnia] τὸ πᾶν. adinvicem compatientia] συμπαθὲς ἑαυτῷ. 43 quod BP] Sententias igitur interpres perperam conjunxit. Distinguendum erat post: „satis sint“. Tum autem „quod“ posuit pro: οὖν, addidit „que“ in: „concupieritque“ et scripsit „his quidem“ pro: καὶ τούτοις. 46 verba citata partim solis primis

paratus est iumentis irrationabilibus et similis factus est illis.
Quod si per rationabili|tatem erigetur omnesque floccipenderit 47
delectationes corporeas ad di|vinam et deo dilectam vitam per- 48
veniet hominique principaliter dispositam ‖ et erit quasi coe- 1
lestis audiens qualis coelestis tales et coelestes. Rati|onalis 2
enim creaturae capitale est haec fugere et averti a malis. Sed
quia | bonorum haec quidem sunt communia animae et corpo- 3
ris. Solius animae secundum ipsam so|lam corpore nihil indi- 4
gentem, ut et beatitudo et existentium contem|platio. Quicum- 5
que hominis vitam ut hominis vivere elegerunt, non tantum |
a malis ad virtutem perveniunt, sed et ad beatitudinem. Sed 6
quae ad vir|tutes, quaeve ad beatitudinem pertineant, in se- 7
quentibus determinabitur, | cum de anima et corpore reddideri- 8
mus rationem. Ignoto namque quid sit nostra anima, | incon- 9

---

literis indicata leguntur in BP. est H] es BP priore loco. iumentis irrationabilibus B] iumentis P. et similis — illis] καὶ ὡμοιώθη αὐτοῖς. Haec desunt in D_1. per rationabilitatem erigetur] ἐπὶ τὸ λογικὸν χωρήσῃ. 48 deo dilectam BP] θεοφιλεστάτην D_1. perveniet] μετέρχηται D_1. dispositam P] disposita B. 1 audiens qualis B] audiens quasi P. Inter haec exciderunt verba: κατὰ τὸ εἰρημένον, οἷος ὁ χοϊκὸς, τοιοῦτοι καὶ οἱ χοϊκοὶ καὶ. 2 enim] δὲ. haec fugere et] φεύγειν μὲν καὶ D_1. malis. Sed BP] Post „malis“ desunt igitur in BP haec: μετιέναι δὲ καὶ αἱρεῖσθαι τὰ καλὰ. Ceterum D_1 habet: μετέρχεσθαι τὰ καλά pro: αἱρεῖσθαι τ. κ. 3 corporis. solius BP] Post „corporis“ desunt in BP haec: ἐχόντων καὶ τούτων ἐπὶ τὴν ψυχὴν τὴν ἀναφορὰν, οἷον ψυχῆς προσχρωμένης σώματι, ὡς αἱ ἀρεταί· τὰ δὲ. 5 Quicumque] ὅσοι τοίνυν. ut hominis] ὡς ἀνθρώπου. Hoc autem in marg. D_1 a rec. manu additum est. elegerunt] προαιροῦνται. non tantum a malis ad virtutem perveniunt, sed et BP] καὶ μὴ ὡς ζώου μόνου, τὰς ἀρετὰς μετέρχονται καὶ. „a malis“ facile in „animalis“ mutare poteram, sed utrum post ζώου legerit interpres μόνου et quae in codd. sequuntur, an οὐ μόνον τὰς ἀρετὰς μετέρχονται ἀλλὰ καὶ non aeque patet. 8 namque B] namque P, sed inter lineas ex corr. m. pr. additum. nostra anima B] anima nostra P, ἡμῶν . . ψυχὴ κατ᾽ οὐσίαν. 9 virtutibus] τῆς ἐνεργείας.

veniens est de virtutibus ejus disserere. | Hebraei vero hominem 10
in principio nec mortalem manifeste nec | immortalem factum 11
esse testantur, sed in medio utriusque naturae ita quidem, | ut 12
si mortales imitatus fuisset passiones, corporales incideret | per- 13
mutationes, si autem animae imitatus fuisset dona, immortali-
ta|te donaretur. Nam si in principio mortalem eum fecisset 14
deus, nequa|quam peccantem morte damnaret. Nullus etenim 15
mortale | mortalitate infestat, si vero iterum immortalem, ne- 16
quaquam nutrimento | indigeret. Neque sic facile poenituisset, si 17
factum immortalem con|festim mortalem fecisset. Neque enim 18
in peccantibus angelis hoc apparu|it factum, sed iuxta princi- 19
palem naturam immortales permanserunt, | aliam recipientes 20
pro peccatis vindictam et non mortem. Melius est igitur | aut 21
hoc modo dignoscere propositum, aut quia mortalis creatus sit, |
potens autem in procedenti perfectus immortalis haberi, quod 22
est po|testate immortalis. Quia vero non contulit ei ante per- 23
fectionem cognoscere | suam ipsius naturam, prohibuit gustare 24
6 lignum scientiae. Erant namque || potius quam modo sint vir- 25
tutes in plantis maximae. Tunc vero, ut in prin|cipio creationis 26
mundi, purissimae existentes fortissimum ex|hibebant effectum. 27
Erat igitur et gustatio cujusdam fructus notitiam fa|ciens pro- 28
priae naturae et noluit eum deus ante perfectionem scire pro-

---

10 Hebraei H] ebrei B, Hebrei P. In utroque codice lineae parte vacua relicta hinc novum caput incipere significatur. Litera initialis H in codice P minio picta est. 12 incideret] περιπέσῃ καὶ. 13 imitatus fuisset dona] προτιμήσῃ καλὰ. immortalitate B ex corr.] immortalitate P. 16 nutrimento] πάλιν τροφῆς D1. 17 indigeret] ἐνδεᾶ κατεσκεύασεν. Quae post haec apud Matth. leguntur: οὐδὲν γὰρ τῶν ἀθανάτων τροφῆς σωματικῆς δεῖται, desunt in BP. si factum BP] καὶ τὸν γενόμενον. Pro „si“ igitur „et“ scribi debebat. 18 fecisset P a m. pr. corr. ex: fecit] fecit B. 19 factum] πεποιηκὼς. 20 et non] ἀλλ᾽ οὐ. 23 ei ante perfectionem H] ei āū perfectionem B, ei perfeccionem P, αὐτῷ πρὸ τῆς τελειώσεως. 25 potius quam modo sint BP] μᾶλλον δέ εἰσιν ἔτι καὶ νῦν. Interpres vero intellexisse videtur: μᾶλλον ἢ εἰσιν νῦν.

priam | naturam, ne cognoscens se ipsum pluribus indigentem 29
corporali stude|ret usui derelinquens animae praescientiam. Et 30
hac de causa prohibuit eum | accipere fructum notitiae. Sed 31
transgrediens et se ipsum cognoscens | a perfectione cecidit et 32
corporalibus necessitatibus egenus factus | est. Operimentum 33
igitur confestim quaesivit. Dicit Moyses, quia sciens esset. |
Prius autem in extasi fecerat eum et in ignorantia sui. Ca- 34
dens igitur a per|fectione cecidit simul et ab immortalitate, 35
quam postea accepit | gratia creantis eum. Post ruinam vero 36
et carnium subintravit co|mestio. Prius enim a solis terrae fruc- 37
tibus eum satis habere iussit, quia | haec erant in paradiso; 38
sed deleta perfectione per ruinam necesse fuit | subintrare gu- 39
lositatem. Et quoniam ex corpore est homo, omne autem cor|
pus ex IV elementis consistit, necesse est eum eisdem subja- 40
cere | passionibus, quibus et elementa, excisioni, permutationi, 41
discursioni, | quae sunt solius corporis, permutationi quidem se- 42
cundum qualitatem, discursui secundum | inanitionem; exinani- 43
tur namque semper animal per manifestos po|ros et per im- 44
manifestos, de quibus post dicemus. Necesse est igitur aut eva-|

---

32 corporalibus necessitatibus egenus factus est] τῆς δὲ σωματικῆς χρείας ἐγένετο. Excidisse videtur: ἐνδεής. 33 Dicit] φησὶ γάρ. quia sciens esset BP] ὅτι γυμνὸς ὢν ἔγνω. Nihil fortasse excidit praeter: „nudus“. 34 Cadens igitur] ἐκπεσὼν γὰρ D1. 35 simul] ὁμοίως Matth. In D1 deest. Sed praestat ὁμοῦ. Itaque etiamsi „simul“ et „similiter“ saepe confunduntur, hic tamen graeca corrigere malim. accepit] ἀναλήψεται. „Recipiet“ omnino necessarium, sed vereor, ut hoc intellexerit interpres. 36 subintravit] αὐτῷ συνεχωρήθη. 37 Prius enim a solis terrae fructibus] πρότερον μὲν γὰρ τοῖς ἀπὸ τῆς γῆς μόνοις. In D1 μὲν omissum. 38 per ruinam necesse fuit] τῇ συγκαταβάσει λοιπὸν. Idem legit interpres. Quid D1 habeat, non satis apparet. Si Matthaeii notam recte interpretor, κατὰ βασίλειον illic legitur; qua lectione, quamvis falsa sit, confirmatur tamen reliquorum librorum consensus. 40 eisdem] τούτοις τοῖς. 42 corporis P] corporis et B. 43 secundum inanitionem] τῇ κενώσει D1. 44 et per BP] deest διὰ in D1.

cuatis aequalia apponi aut animal dissolvi indigentia introeun- 45
tium. | Siccis vero existentibus et humidis et spiritu evacuatis 46
necesse | est sicco et humido indigere nutrimento animal atque 47
spiritu. Est namque | nobis esca et potus necessarius propter 48
7 elementa ex quibus constamus. Unum‖quodque enim proprio 1
quidem et simili nutritur, contrario vero curatur. Sed e|lemen- 2
torum haec quidem per se, haec vero per quaedam media in-
feruntur, ut aqua quidem | nunc per se, nunc mediante vino et 3
oleo vel cunctis humorosis fruc|tibus. Nihil enim aliud est vi- 4
num, nisi aqua a vino facta. Similiter autem et ignem | acci- 5
pimus, nunc quidem per se ab ipso calefacti, nunc vero me-
diantibus quae come|dimus et bibimus. In cunctis namque sive 6
major sive minor pars | conspersa est. Eodem quoque modo de 7
aëre. Per se quidem utimur anhelantes et circa nos | illum dif- 8
fusum habentes et in comedendo et bibendo trahentes. Per
alia vero | mediantibus omnibus aliis, quibus vescimur. Terram 9
vero per se quidem nullo modo | accipimus, sed per quaedam 10
media. Terra namque fit frumentum et frumentum | comedi- 11
mus. Corniculae autem et columbae atque perdices frequenter
terra | cibantur. Homo vero mediantibus seminibus et acrumi- 12
nibus atque car|nibus. Quoniam vero non solum per pulcritu- 13
dinem, sed et per sensum tangibilem | homo praecellit cuncta 14
animalia, non circumposuit nobis corium grossum, | ut bubus 15

---

45 apponi aut animal H] apponi animal BP. 48 necessarius propter elementa] διὰ τῶν στοιχείων. ex quibus] ἐξ ὧν καὶ D1.

2 per se] προσεχῶς. Sic etiam infra. inferuntur] προσφερόμεθα. quidem H] que BP μὲν. 3 nunc mediante] ποτὲ δὲ καὶ διὰ μέσου. humorosis] τῶν καλουμένων ὑγρῶν. 4 a vino] ὑπ' ἀμπέλου D1. 5 mediantibus B] mediatibus P. διὰ μέσου D1. 6 et bibimus] ἢ πίνομεν. pars] μοῖρα τοῦ πυρὸς. conspersa est] κατέσπαρται D1. 8 Per—aliis] διὰ μέσου δὲ τῶν πάντων[β] ἄλλων[α] D1.

10 per—media] διὰ μέσου δέ τινων D1. 11 corniculae] κόρυδοι.

14 praecellit] ᾗ μάλιστα πλεονεκτεῖ. nobis] ἡμῖν, οὔτε.

15 bubus B] bobus P ex corr. hujusmodi] τοῖς παχυδέρμοις.

et aliis hujusmodi, nec pilos magnos et spissos, ut capris et
pe|coribus et leporibus, neque spolia, ut serpentibus et pisci- 16
bus neque co|chleas, ut testudinibus et ostreis, neque molles 17
cochleas, ut locustis | et cancris neque pennas, ut avibus. Ne- 18
cessario igitur sensibilitate eguimus | superabundante in nobis 19
plus quam aliis natura dedisset. Propterea igitur nutri|mento 20
et sensibilitate familiari necesse habuimus et non solum prop-
ter haec, | sed ut fugeremus et qualitatum distemperantiam et 21
dissolutionem continuati|onis corporis. Ideoque medicis et cura- 22
tione opus habuimus. Nam permu|tatione facta qualitatum ne- 23
cesse est per contrarias qualitates ad temperantiam re|ducere 24
corporis constantiam. Non enim, ut quidam noverunt, calefac-
8 tum corpus infrigi‖dare simpliciter pertinet medicis, sed potius 25
restituere ad temperamentum. | Si enim infrigidetur simpliciter, 26
in contrarium morbum deveniet dispositio. | Necessitas igitur 27
fuit homini cibus et potus propter evacuationes et diaphore-
sias. | Sensibilitate quoque opus habuit, ut nullam naturaliter 28

---

16 spolia BP] φολίδας. cochleas] ὄστρακα. 17 molles—cancris] ἀπαλόστρακα, ὡς τοῖς καράβοις. 18 Necessario—dedisset] Haec sensu carent. Interpres ἐσθῆτος cum αἰσθήσεως confudit: ἀναγκαίως ἐσθῆτος ἐδεήθημεν, τῆς ἀναπληρούσης ἐν ἡμῖν, ὅπερ ἡ φύσις τοῖς ἄλλοις ἐδωρήσατο. cf. 8. 28. 20 sensibilitate] ἐσθῆτος. Sic iterum paulo post. Familiari autem pro οἰκήσεως posuit: οἰκήσεως δὲ καὶ διὰ ταῦτα μὲν, δι' ἃ καὶ τροφῆς καὶ ἐσθῆτος, quae excepta voce prima omisit omnia interpres. non solum] οὐχ ἥκιστα. 21 ut fugeremus] καὶ διὰ τὰς τῶν θηρίων ἀποφυγάς. et qualitatum distemperantiam H] equalitatem distemperantiam BP. διὰ τὰς δυσκρασίας τῶν ποιοτήτων D1. Interpres igitur sententias perperam conjunxit, ut etiam e proximis intelligitur. 22 nam] δὲ. 23 qualitatum] κατὰ ποιότητα. per contrarias qualitates] διὰ τῆς ἀντικειμένης ποιότητος. temperantiam] τὸ σύμμετρον. 24 constantiam] κατάστασιν. novere] οἴονται. infrigidare B] infrigdare P. simpliciter BP] Hoc ab interprete additum. Idem in proximis factum videmus. 26 in contrarium P] Hoc iteravit librarius B, sed lineola errorem castigavit.

28 sensibilitate quoque] ἐσθῆτος δὲ cf. 7. 18. ut] διὰ τὸ.

haberet fortem permutationem; | domo vero opus habuit prop- 29
ter distemperantiam aëris et propter feras; curatione | autem 30
propter permutationes qualitatum et sensibilitatem inditam cor-
pori. Si enim | non affuisset nobis sensibilitas, non doleremus 31
et non dolentes curationem | non quaereremus et deleremur cum 32
ignorantia mali passionem non sentien|tes. Sed propter artes et 33
disciplinas opus nobismet ipsis habuimus adinvicem. | Quia ergo 34
egemus adinvicem multi in unum convenientes communicamus
alterutris | propter ea quae vitae sunt utilia in congregatione, 35
quam congregationem et cohabitationem | civitatem nominave- 36
runt, ut de propinquo et non de longe auxiliaremur | adinvicem. A 37
natura namque congregabile animal et civile factus est homo.
Nu|llus etenim solus sibi sufficit in omnibus. Manifestum est 38
igitur, quod civitates | propter commutationes et disciplinas con- 39
stitutae sunt. Sed ex duabus his digni|tatibus homo singulariter 40
honoratus est. Solus etenim veniam percipit poenitens | et hujus 41
solius corpus mortale existens immortale fit et corpus quidem
per | animam, anima vero per corpus. | Homo itaque rationabilium 42, 43
solus singulariter habuit in poenitendo venia dig|num fieri. Nam 44
neque daemones neque angeli poenitentes venia digni sunt, | ex 45

---

permutationem] περιβολήν. Interpres praepositiones περὶ et παρὰ confudit et sic in graviorem etiam errorem incidit. 29 aëris] τοῦ περιέχοντος. 32 sentientes] ἰώμενοι. 33 opus—habuimus] καὶ τὰς ἀπὸ τούτων χρείας ἀλλήλων ἐδεήθημεν καὶ δεόμεθα D_1. 34 Quia ergo] διὰ δὲ τὸ D_1. alterutris H] alterutrum BP. 35 propter] κατὰ. in congregatione BP] ἐν τοῖς συναλλάγμασιν. 36 nominavere] ὠνομάσαμεν. 37 factus est] γέγονεν deest in D_1.
39 Sed—est] δύο δὲ τούτων πρεσβείων ὁ ἄνθρωπος ἐξαιρέτων ἔτυχε. Interpres igitur legit: ἐξαιρέτως. D_1 habet: ἐξαιρέτων. 41 et corpus—per corpus] καὶ τοῦ μὲν σωματικοῦ διὰ τὴν ψυχὴν, τοῦ δὲ ψυχικοῦ, διὰ τὸ σῶμα. 43 Homo itaque H] ō itaque B, Non itaque P. In utroque codice lineae praecedentis parte vacua relicta hinc novum caput incipere significatur. In cod. B litera initialis deest; quam librarius P „Non“ scribens falso supplevit. 45 iustus et misericors] ἐλεήμων καὶ δίκαιος D_1. apparet] δείκνυται καὶ λέγεται D_1.

quo maxime deus et iustus et misericors apparet. Angelis nam-
que nullum | habentibus compulsorium attrahens ad peccan- 46
dum, sed naturaliter existentibus liberis | a corporalibus passio- 47
nibus et necessitatibus ac delectationibus iuste nulla | concessa 48
est venia illis poenitentibus. Homo vero, quia non solum est
9 rationalis, sed et ‖ animalis. Necessitates vero animales sunt et 1
passiones merito frequenter col|lidunt rationem. Quando igitur 2
exsurgens reliquerit et ad virtutes incesserit, | donatur ei venia 3
iustae misericordiae. Et velut proprium est homini risibile,
quia et soli | huic inest et omni. Sic secundum gratiam dei 4
proprium est homini super omnem rationalem | creaturam ab- 5
solvi per poenitentiam a vinculis peccatorum. Etenim soli ho-
mini | hoc datum est et omni et semper in tempus mundanae 6
vitae. Post mortem vero nequaquam. | Similiter autem quidam 7
angelos volunt nequaquam post ruinam per poenitentiam perci-
pere | veniam, quia mors istorum est ruina, sed ante ruinam 8
ad similitudinem vitae hominum | dignos fuisse venia. Sed pec- 9
cantes dignam receperunt vindic|tam justitiae perpetuam qui- 10

---

48 Homo vero quia non solum BP] ὁ δὲ ἄνθρωπος οὐ μόνον. 1 necessitates — sunt et passiones. merito — rationem BP] αἱ δὲ χρεῖαι τοῦ ζώου καὶ τὰ πάθη πολλάκις περιέλκουσι τὸν λογισμόν. Interpres fortasse post sunt interpungi voluit. Hanc ob causam sunt non delevi. Non enim temere additum putabam merito, quod in graecis deest quidem, sed non desideratur. 2 exsurgens reliquerit] ἀνανήψας ἀποφύγῃ μὲν ταῦτα. 3 homini] τῆς οὐσίας αὐτοῦ. 4 et omni BP] καὶ παντὶ καὶ ἀεί. secundum gratiam dei] ἐν τοῖς κατὰ χάριν. 5 absolvi . . a vinculis peccatorum] ἀποδύεσθαι τῶν προημαρτημένων τὰς αἰτίας D 1 (v. l. ἀπολύεσθαι). Ubi eadem recurrunt (p. 141 Matth.): ἀποδυόμεθα τὴν αἰτίαν, codd. BP habent: exuimur causationem. Videtur igitur interpres priore loco legisse: ἀπολύεσθαι.

6 in tempus P] in tempore B παρὰ τὸν καιρόν. 7 similiter] οὕτω . . καί. 8 quia mors] θάνατος γάρ. vitae hominum B] hominum vitae P. 9 dignos fuisse] καὶ αὐτοὺς ἀξιοῦσθαι. sed peccantes BP] ὅπερ μὴ ποιήσαντες. receperunt] ἔχουσι τὸ λοιπόν.

10 igitur] οὖν ἐκ τούτων. quicumque — proscribuntur] οὐ δε-

dem et sine venia. Manifestum est igitur, quod, quicumque |
poenitentiam non acceperunt, singulari dono hominis proscri- 11
buntur. Proprium | quoque est ipsi artium disciplinarumque 12
doctrinam addiscere artiumque opera | exercere. Ideoque defi- 13
niunt hominem animal esse rationale, mortale, men|tis et dis- 14
ciplinae perceptibile; animal quidem, quia homo est substantia
animata, sen|sibilis. Haec est namque animalis definitio; ra- 15
tionale vero, ut separetur ab irrationabilibus; | mortale, ut di- 16
vidatur ab immortalibus rationabilibus; mentis autem et dis-|
ciplinae perceptibile, quia discendo inhaerent nobis artes et 17
disciplinae. | Nam habent potestatem perceptibilem mentis et 18
artium, sed actum discendo | atque studendo percipiunt. Sed di- 19
cunt hoc definitioni apponi superfluo. Nam | sufficere definitio- 20
nem absque hoc. Sed quia nymphas et alia quaedam genera
daemonum | introducunt, longaeva quidem, sed non immortalia, 21
ut ab his dividant | hominem, apposuerunt mentis et discipli- 22
nae perceptibile. Nullum namque | istorum addiscit, sed natu- 23
raliter novit, quod novit. ‖ Hebraeorum vero doctrina habet om- 24
nia haec propter hominem facta, velut subjuga|lia et boves 25
pro terrae cultura, herbam autem propter boves. Eorum nam-

χόμενοι τὴν ἐξαίρετον δωρεὰν καὶ τὴν ἰδίαν ἀνθρώπου περιγράφουσιν. Tum etiam in D1 haec sequuntur: ἴδιον δὲ αὐτοῦ καὶ ἐξαίρετον καὶ τὸ μόνον τῶν ἄλλων ζώων τὸ τούτου σῶμα μετὰ θάνατον ἀνίστασθαι καὶ εἰς ἀθανασίαν χωρεῖν· τυγχάνει δὲ τούτου, διὰ τὴν τῆς ψυχῆς ἀθανασίαν, ὥσπερ ἐκείνου, διὰ τὴν τοῦ σώματος ἀσθένειάν τε καὶ πολυπάθειαν. 12 addiscere — exercere] μαθήματα — ἐνέργειαι. 14 quia] ὅτι καὶ. 15 animata] post ἔμψυχον deletum καὶ in D1. 16 mortale] καὶ θνητὸν. 18 Nam habent — discendo atque studendo percipiunt] ἔχουσι — κτωμένοις ἐκ τῶν μαθημάτων. 19 superfluo] ὕστερον. 20 quia] ἐπειδὴ καὶ. 21 introducunt] τινὲς εἰσάγουσι. ut] ἵνα καὶ. 23 quod novit] ἃ οἶδεν. 24 Hebraeorum H] ebreorum B, Hebreorum P. In utroque codice lineae parte vacua relicta novum caput hinc ordiri significatur. Litera initialis H in codice P minio picta est. doctrina habet] δόγμα. velut] προσεχῶς μὲν δι' αὐτὸν, οἷον. 25 propter boves] διὰ ταῦτα.

que, quae facta | sunt, haec quidem propter se ipsa facta sunt, 26
haec vero propter alia; propter se ipsa rationalia omnia, | propter 27
vero alia irrationabilia et inanimata. Si ergo haec propter alia
facta sunt, propter quae facta | sint, videndum. Numquid nam 28
propter angelos? Sed nullus sapiens dicet propter | angelos ea 29
facta fuisse. Quae enim propter alia facta sunt, ad consisten-
tiam | eorum et permanentiam et requiem facta sunt. Aut enim 30
facta sunt causa habitaculi | illius generis aut nutrimenti vel ope- 31
rimenti vel curationis sive deductionis | vel repausationis. Ange- 32
lus autem nullius horum indiget. Nam neque re | ceptaculum 33
habet generis, nec nutrimento indiget corporeo nec operimento
nec | aliorum aliquo. Si autem indiget, non erit angelus. Mani- 34
festum est autem, | quod pro nulla alia natura facta sint, quae 35
angelis praemineat. Quanto enim | amplius praeminet, tanto plus 36
nullo indiget. Quaerendum igitur naturam | rationalem indigen- 37
tem praememoratis. Quae igitur altera talis apparet | praeter 38
hominem? Colligitur igitur per hoc propter hoc facta fuisse ir-
rationabilia et in | animata. Quia igitur, ut monstratum est, prop- 39
ter hominem facta sunt, ideo principem eum | constituit. Sed 40
principis officium est moderato usu, quibus principatur, uti et |
non ad fatigationem vel laesionem ea indeficienter cogere nec 41

---

26 propter alia] τὰ δὲ δι᾽ ἕτερα, D1. Sic etiam in proximis.
29 ea] ταῦτα D1. facta sunt] γινόμενα D1. 30 causa H] cū BP.
habitaculi illius generis BP] τῆς διαδοχῆς τοῦ γένους. 31 deductionis] διαγωγῆς. 32 receptaculum — generis BP] διαδοχὴν ἔχει γένους. 33 nec aliorum aliquo] οὔτε τῶν ἄλλων. 34 Si — angelus. Manifestum est autem BP] εἰ δὲ μὴ ἄγγελος, δῆλον. Interpres igitur post δὲ minorem, post ἄγγελος majorem interpunctionem adhibendam esse putavit. Idcirco etiam proxima mutavit. 35 angelis] ἄγγελον D1. 36 nullo indiget] αὐτῇ καὶ τὸ ἀνενδεὲς πρόςεστι D1.
naturam P] natura B. 37 indigentem] μὲν, ἐνδεᾶ δὲ.
